[redacted]

DE

Q. REMMII PALAEMONIS LIBRIS GRAMMATICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS MARSCHALL

HEILIGENSTADENSIS.

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXVII.

[redacted]

VIRO

ILLUSTRISSIMO PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMO

CONRADO ZEHRTIO

COMMISSARIO EPISCOPALI

ET

PAROCHO HEILIGENSTADENSI REVERENTISSIMO

SS. THEOL. DOCTORI

D. O. E.

PIETATIS ERGO

D. D. D.

SCRIPTOR.

DE

Q. REMMII PALAEMONIS LIBRIS GRAMMATICIS

SCRIPSIT

CAROLUS MARSCHALL.

'Res ardua est uetustis noui-
tatem dare, nouis auctoritatem,
obsoletis nitorem, obscuris lucem,
fastiditis gratiam, dubiis fidem'.

Plin. N. H. praef.

I. Quae apud Charisium aliosque sub Palaemonis nomine exstant grammatica, ea non Palaemonis cuiusdam, qui quarto fere p. Chr. saeculo fuerit, sed Q. Remmii Palaemonis esse argumentis confirmatur.

Q Remmium Palaemonem, quem Tiberio Claudioque imperantibus principem Romae inter grammaticos locum obtinuisse Suetonius[1]) tradit, primum omnium, quod quidem sciamus, artem edidisse grammaticam cum ex aliis firmis indiciis tum ex D. Junii Juuenalis uerbis sat. VI. u. 452 exstantibus: 'Odi hanc ego, quae repetit uoluitque Palaemonis artem' conicimus. Quae ars cum temporum diuturnitate deperierit, tamen reliquiae eius quaedam apud posterioris aetatis grammaticos, apud Charisium, Diomedem, alios seruatae sunt. Satis enim perspecta est posteriorum grammaticorum in artibus componendis ratio illa, qua inde a secundo fere p. Chr. saeculo nihil aliud moliebantur, quam ut antiquiorum grammaticorum libros despoliarent copiasque, quae florentibus studiis grammaticis coaceruatae sunt, compilarent atque excerperent. Quid mirum igitur uiros doctos nunc in eam rem incumbere, ut grammaticorum istorum scrinia perscrutentur praeceptaque, a quibus recepta sunt auctoribus restituere studeant. Quod equidem de Q. Remmii Palaemonis doctrina praestare conabor. Longe maxima autem Palaemonianae doctrinae pars per Flauium Sosipatrum Charisium nobis tradita est; a quo omnis quaestio oriunda est, quippe qui commentarios sese aliquot a Palaemone recepisse ipse testetur.

---

[1]) De gram. 23.

Verum enim uero uir doctus Schottmueller, qui in Charisianas copias nuper inquisiuit[1]), ad eam peruenit opinionem, ut quae apud Charisium sub Palaemonis nomine exstant, non Remmio illi, sed Palaemoni cuidam, qui quarto fere p. Chr. saeculo in Gallia transalpina floruisset, deberi censeret hac sola causa adductus, quod reliquiae illae Palaemonianae doctrinae iuniores uiderentur esse, quam quae in illustrem illum grammaticum conuenirent. Nec defuerunt, qui adnuerent aut qui eum refutare conarentur aduersante in primis uiro doctissimo H. Keilio[2]) nullis quidem argumentis innixi. Qua rixa exorta cum uerendum uideatur, ne nisi eam Schottmuelleri sententiam redarguam, inutile mihi negotium iniungam, priusquam ad ipsam quaestionem accingar, ei rei operam nauare iuuabit.

Jam argumenta, quibus Remmii Palaemonis restituatur auctoritas, sumuntur uel primaria a M. Fabio Quintiliano, illius discipulo[3]), qui in institutionum libro I grammaticam quoque tetigit. Nam cum uel per se facilis suspicio sit discipulum in docendo secutum esse praeceptorem, re uera, quae a Quintiliano proferuntur grammatica, apud posterioris aetatis grammaticos reperiuntur. Eos autem grammaticos non Quintiliani librum exscripsisse uel inde concluseris, quod doctrinam plerumque pleniorem, quam quae apud illum inueniatur exhibent. Quare nisi hoc statuas, nil relinquitur, utrimque eundem fontem petitum esse. Atque quae a Charisio aliisque tractantur grammatica cum Quintiliano congruentia, si a Palaemone deprompta esse demonstrare ipsa disputatione mihi contigerit, iam, opinor, concedes de altero illo quarti p. Chr. saeculi Palaemone, Charisii auctore, desperandum esse. Etenim si Charisius eundem cum Quintiliano usurpauit Palaemonem, de quo alio licet cogitare Palaemone nisi de Q. Remmio? — Cuius sententiae propugnatore utor uiro docto Joh. Clausseno, qui in commen-

---

[1]) De C. Plinii Secundi libris grammaticis, p. 26 sqq., diss. Bonnae 1858.

[2]) Gramm. Lat. V p. 334.

[3]) schol. ad Iuuenal. 6, 452.

tatione, quae inscribitur: 'Quaestiones Quintilianeae', Jahrb. f. Phil. Suppl. 6, p. 359 sqq. Quintiliani grammaticarum rerum prouinciam percensuit. Quem ex parte aliqua ducem secuti Quintiliani doctrinam, quatenus ad nostrum usum fieri opus est, cum Charisio aliisque comparabimus.

Quintilianus[1]) I, 4, 6—21 eum docendi ordinem sequitur, ut postquam a litteris ad syllabas (6—17), a syllabis ad partes orationis (18—21) peruenit, 5, 1 ad uirtutes ac uitia orationis descendat his uerbis: 'Jam cum oratio tres habeat uirtutes... totidem uitia..., emendate loquendi regulam, quae grammatices prior pars est, examinet.'

Similem grammatices uiam intrat Dositheus[2]) VII,[3]) 377 1—4: 'Artis grammaticae initia ab elementis surgunt, elementa figurantur in litteras, litterae coguntur in syllabas, syllabis comprehenditur dictio, dictiones coguntur in partes orationis, oratio in uirtutes ac uitia descendit.'

De litteris disserens Quintilianus I, 4, 7: 'At grammatici saltem', inquit, 'omnes in hanc descendent rerum tenuitatem: desintne aliquae nobis necessariae litterae, non cum graeca scribimus, tum enim ab isdem duas mutuamur' (sc. y et z).

De eisdem litteris Charisius I, p. 8, 20 profert: 'Y et z propter Graeca nomina admisimus' et p. 11, 4: 'His, ut dictum est, accedunt propter Graeca nomina y et z, ut in Hyazintho Zenone.'

Quintilianus deinde I, 4, 9: 'An rursus aliae redundent... ut k, quae et ipsa quorundam nominum nota est, et q ... et nostrarum ultima' (sc. x littera); et I, 7, 10: 'Nam k quidem in nullis uerbis utendum puto nisi quae significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quotiens a sequatur, necessariam credunt, cum sit c littera, quae ad omnis uocalis uim suam praeferat.'

---

[1]) rec. C. Halm, Lips. 1868.

[2]) Quae nunc a Charisii, Dosithei, excerptoris Bobiensis doctrina petituri sumus, ea e Palaemonis libro translata esse sequenti disputatione coarguemus.

[3]) Grammatici Lat. ex rec. H. Keilii, Lips. 1857 sqq.

Comparanda sunt, quae Charisius p. 10,18 docet: 'k littera notae tantum causa ponitur, cum kalendas sola (significat) aut Kaesonem* quoque kalumniam aut Karthaginem scribimus'; et p. 8,16: 'Ex his (sc. mutis) superuacuae quibusdam uidentur k et q, quod c littera horum locum possit inplere, ut puta Carthago. Praeponitur autem k, quotiens a sequitur (sc. in eis nominibus, quae etiam nota significantur), ut kalendae; q scribitur, quotiens u coniuncta cum alia uocali subsequitur, ut quercus questio quantus et his similia'; et p. 8, 12: 'Ex his (sc. semiuocalibus) una duplex est x. Constat enim aut ex g et s, ut rex regis, aut ex c et s, ut pix picis, ideoque haec littera a quibusdam negatur.'

Quintilianus I, 4,20 profitetur: 'Alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes orationis secuti sunt ut Aristarchus et aetate nostra Palaemon, qui uocabulum siue appellationem nomini subiecerunt tamquam speciem eius. At ii, qui aliud nomen, aliud uocabulum faciunt, nouem. Nihilominus fuerunt, qui ipsum adhuc uocabulum ab appellatione diducerent, ut esset uocabulum corpus uisu tactuque manifestum, 'domus lectus', appellatio, cui uel alterum deesset uel utrumque, 'uentus caelum deus uirtus'.

Confer excerptoris Bobiensis doctrinam I, p. 533 exstantem: 'Orationis partes sunt octo: nomen pronomen uerbum aduerbium participium praepositio coniunctio interiectio; quibusdam uidetur et appellatio.' — In ea, quae sequitur doctrina p. 533,6 nominum singulae species discernuntur ipsique nomini subiunguntur; pergit enim definitione nominis praemissa grammaticus: 'Nomina aut propria sunt aut appellatiua. Propria sunt nomina, quae specialiter proprieque dicuntur ... Appellatio dicitur, quidquid praeter proprium nomen est. Haec in duas species diuiduntur. Alia enim significant res corporales, quae uideri tangique possunt et a quibusdam uocabula appellantur, ut homo arbor pecus; alia intellectu tantum modo percipiuntur, uerum neque uideri nec tangi possunt, ut est pietas iustitia. Ea (sc. exceptis nominibus propriis) nos appellatiua dicimus.'

Quint. I, 4,23: 'Non erit contentus (sc. grammaticus) tradere in nominibus tria genera et quae sunt duobus omnibusque

communia. Nec statim diligentem eum putabo, qui promiscua, quae ἐπίκοινα dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet aut quae feminina positione mares aut neutrali femininas significant ... Quaeret etiam, sitne apud Graecos uis quaedam sexti casus, et apud nos quoque septimi.'

Charis. p. 17, 10: 'Genera nominum sunt tria uel, ut quibusdam placet, quinque: masculinum ut hic Cato, femininum, ut haec Musa, neutrum, ut hoc templum. Est et commune aut duobus generibus, ut hic et haec canis, aut tribus generibus, ut hic et haec et hoc felix. Adicitur quintum genus, quod Graece ἐπίκοινον dicitur, Latine promiscuum, ut haec mustela aquila. Nam etsi mas sit mustela uel aquila, tamen feminino genere tantum dicitur. Item hic passer, quamuis masculino genere proferatur, tamen etiam femininum genus significat.' — Eadem fere doctrina apud excerptorem p. 534, 2 inuenitur, qui in eis, quae sequuntur, differentiam ablatiui et septimi casus explanat; quam significasse satis est.

Quint. I, 5, 59: 'Ac si reperias grammaticum ueterum amatorem, neget quidquam ex latina ratione mutandum ... quin etiam laudet uirtutem eorum, qui potentiorem facere linguam latinam studebant nec alienis egere institutis fatebantur: inde 'Castorem' media syllaba producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem quas 'Castor' litteras exit, et ut 'Palaemo' ac 'Telamo' et 'Plato' dicerentur retinuerunt, quia latinum, quod o et n litteris finiretur, non reperiebant'; et 63: 'Nunc recentiores instituerunt graecis nominibus graecas declinationes potius dare, quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet rationem latinam sequi, quousque patitur decor'; et 64: 'In ceteris, quae poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui graecam figuram sequi malet, non latine quidem, sed tamen citra reprehensionem loquetur'.

Charis. p. 85, 23: 'Omnia nomina, quae or syllaba terminantur genetiuum faciunt per is; et siquidem masculina seu feminina Latina fuerint, genetiuo circumducuntur et per o litteram productam proferuntur uelut praetor praetoris ... exceptis his, quae non producuntur, sed corripiuntur, uelut me-

mor memoris ... Sed, si natura Graeca fuerint, utique corripiuntur, ut Hector Hectoris, Nestor Nestoris...'; et p. 63, 11: 'Quare ergo Cicero Ciceronis, turbo turbinis? Omnia nomina o littera elata, siquidem propria sint, per onis genetiuo efferuntur, ut Zeno Zenonis, Plato Platonis'; et p. 64, 20: 'Item quaeritur, quare Sino Sinonis, Memno Memnonis. Omnia nomina Graeca Graecam rationem et apud Latinos secuntur et tunc producunt o litteram genetiuo, cum etiam apud Graecos producunt, uelut *Κόνων Κόνωνος* et apud nos Cono Cononis. Si autem apud Graecos corripiunt, eadem similiter et apud nos *Μέμνων Μέμνονος*, nos Memno Memnonis . . . Antipho quoque et Demipho similiter declinantur (sc. quoniam in Latina reformata sunt), huius Antiphonis Demiphonis, non, ut quidam putant, Antiphontis et Demiphontis Graeca declinatione. Omnia enim Graeca, quae on exeunt, ut Antiphon Demiphon dracon leon, faciunt genetiuum in tis, ut Antiphontis Demiphontis dracontis leontis: *Ἀντιφῶντος Δημοφῶντος δράκοντος λέοντος*, et amissa n littera Latina redduntur et, ut oportet, declinantur Latine, ut Antipho Demipho draco leo et faciunt Antiphonis Demiphonis draconis leonis'.

Quint. 1, 5, 61: 'Ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina graeca nomina recto casu patiebantur ... ne miremur, quod ab antiquorum plerisque 'Aenea' ut 'Anchisa' sit dictus. Nam si ut 'Maecenas Suffenas Asprenas' dicerentur, genetiuo casu non e littera, sed tis syllaba terminarentur.'

Charis. p. 67, 11: 'Nam masculina modo es modo a nominatiuo casu ueteres terminauerunt, uelut Anchises Anchisa, Chryses Chrysa'; et p. 66, 11: 'As (sc. syllaba) terminata nomina casu nominatiuo in genetiuo crescente is syllaba finiuntur, ut Maecenas Maecenatis, Asprenas Asprenatis ... Sed si sint peregrina, genetiuo casu in ae deficient, ut Aeneas Aeneae..., quamuis ueteres 'hic Aenea' dixerint sine s, ut Varro in Age modo... Inueniuntur tamen quaedam peregrina, quae cum incremento syllabae declinantur, ut Calchas . . . faciunt enim Calchantis . . . quamuis antiqui, ut Pacuuius et Plautus Calcham dicant, non Calchantem . . . Solet uenire in quaestionem, quare Aeneas Aeneae, Maecenas Maecenatis, Thoas Thoantis.

Omnia nomina, quae as terminantur syllaba, siquidem Latina sunt masculina, tertii ordinis erunt: Suffenas Suffenatis, Maecenas Maecenatis'.

Quint. I, 6, 13: 'Illi autem (sc. grammatici) idem, cum interrogantur, cur 'aper apri', et 'pater patris' faciat, illud nomen positum, hoc ad aliquid esse contendunt. Praeterea quoniam utrumque a Graeco ductum sit, ad eam rationem recurrunt ut *πατρός* patris, *κάπρου* apri faciat'.

Charis. p. 83, 8: 'Pater patris cum faciat et mater matris, cur dissimiliter aper apri et caper capri solet quaeri. Sed Graeca declinatio aduertenda est, ubi deprehendetur. Tunc enim nos s litteram genetiuo adicere debemus, cum illi *σίγμα* eidem genetiuo adiciunt, et cum illis similiter detrahere, uelut *τοῦ πατρός* patris, *τῆς μητρός* matris; porro *τοῦ κάπρου* capri, *τοῦ ἀγροῦ* agri'; et p. 156, 4: 'Sunt quaedam nomina, quae per se sine alterius partis orationis adminiculo intellegi non possunt, quae Graeci dicunt *τῶν πρός τι*, id est ad aliquid, quae non possunt intellegi sola, ut pater mater'.[1]) —

Quae necessitudo Quintiliano intercedat cum posterioris aetatis grammaticis, quos a Palaemone pendere postea conuincemus uides; uides etiam ut, quae a Quintiliano indicata sunt, grammatici pleniora praebeant. Non enim docere uult Quintilianus grammaticam, ut ait I, 4, 17, nec artem componere (5, 54), sed educandum oratorem, cuius studia ut ab infantia formaret sibi proposuerit (I, 5), in rectam uiam inducere omnia breuiter demonstraturus (I, 25). At quantumuis grammaticam adumbrauerit, nihilominus tamen uestigiis eius institimus. Quae singillatim persequi hoc loco neque uolo neque possum. Sufficiunt meo quidem iudicio ea, quae attuli, ad detegendum eius auctorem; si cui altius penetrare libebit, Charisium admoueat, qui licet Palaemonis artem miro modo confuderit ac circumciderit, tamen siluam earum rerum haud mediocrem posuit, Inueniuntur etiam apud Quintilianum, quae tum demum aperiri poterunt, cum Palaemonis doctrina ex omnibus grammaticis

[1]) Respicias uelim, quae sit dictionis similitudo in eis, quae a tribus illis grammaticis arcessiui.

eruta erit; quaedam, praesertim quae ad analogiae doctrinam attineant, num reperiri possint, adhuc ualde dubito. Charisius enim Palaemonis de analogia commentarium plane praetermisit; reliqui autem grammatici, quod uiderim, non nisi frustula excerpserunt.

At uero quae est singulis partibus Quintiliano cum Palaemone cognatio, haec etiam in uniuersum cernitur. Nam quod 'efferri' pro 'fineri' et 'qualitatem' pro uerborum 'modo' aliaque Quintilianus cum Palaemone dixit, mitto; docendi rationem uterque eandem profitetur. Quintilianus enim I, 6, 1 de linguae fundamentis, ut ita dicam, disserens disceptansque, cuinam prae ceteris uis ac potestas tribuenda sit: 'Sermo', inquit, 'constat ratione, uetustate, auctoritate, consuetudine'. — Aeque Charisius p. 50, 25 auctore Palaemone: 'Constat ergo Latinus sermo natura, analogia, consuetudine, auctoritate'.

Pergit Quintilianus: 'Rationem praestat praecipue analogia, nonnumquam et etymologia. Vetera maiestas quaedam et, ut sic dixerim, religio commendat. Auctoritas ab oratoribus uel historicis peti solet . . . cum summorum in eloquentia uirorum iudicium pro ratione et uel error honestus est magnos duces sequentibus. Consuetudo uero certissima loquendi magistra utendumque plane sermone ut nummo, cui publica forma est'. Adde quae praeter alia I, 6, 45 leguntur: 'Ergo consuetudinem sermonis uocabo consensum eruditorum, sicut uiuendi consensum bonorum'.

Palaemon apud Charisium p. 51, 3: 'Analogia sermonis a natura proditi', inquit, 'ordinatio est neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat. Consuetudo non arte analogiae sed uiribus par est, ideo solum recepta, quod multorum consensione conualuit, ita tamen, ut illi ratio non accedat, sed indulgeat. Auctoritas in regula loquendi nouissima est. Namque ubi omnia defecerint, sic ad illam quemadmodum aram sacram decurritur. Non enim quicquam aut rationis aut naturae aut consuetudinis habet; tantum opinione oratorum recepta est, qui et ipsi, cur id secuti essent, si fuissent interrogati, nescire confiterentur. Ex his ergo omnibus consuetudo non haec uulgaris nec sordida

recipienda est, sed quae horridiorem rationem sono blandiore depellat. Interdum enim utilibus iucunda gratiora sunt. Adsiduitas et consuetudo uerba quaedam uel nomina usque ad persuasionem proprietatis sufficient, si tamen eadem non aspere per analogiam enuntientur'; et p. 183, 17: 'Sed ridiculum est legem aduersus consuetudinem malle, quae sola in nostro sermone dominatur.' — Jam de docendi ratione quin discipulus et praeceptor inter se consentiant, nulla interponitur dubitatio. Accedit, quod ille eosdem, quos et hic scriptores in exemplum uocat et quod Vergilio et Ciceroni magnam cum grammatico auctoritatem tribuit dicens I, 5, 35: 'Quorum neutrum quidem reprehendo, cum sit Vergilius auctor'; — nam Ciceronem ab eo praepositum esse satis constat. Quibus opponas Palaemonis apud Charisium uerba p. 22, 1: 'Item similiter errant, qui omnia genera arborum quartae declinationi solent adsignare inuentis ipsis apud Vergilium: 'et uos o lauri, carpam et te proxima myrte'; et p. 264, 3: 'Reperimus apud ueteres instans finitiuorum iungi etiam inperfecto subiunctiuorum, quod raro fit. Eius exempli prodendi gratia uel sola Ciceronis sufficiat auctoritas pro Sexto Roscio, uelut . . .' — Quid, quod Quintilianus uerba a Graecis deprompta cum Palaemone 'peregrina' appellauit? Praeterea inter utrumque tanta significandi docendique de rebus grammaticis familiaritas intercedit, ut Palaemonianam doctrinam ob oculos tibi uersari putaueris prouinciam perlustranti Quintiliani. Nec desunt alia argumenta, quae auctorem eorum, quae apud Charisium aliosque exstant grammaticos, euidenter prodant. Palaemon enim in exemplis fingendis eam consuetudinem sequitur, ut ubiuis eorum uirorum, qui maxime inclaruerint, nomina suaeque non numquam aetatis ponat, uelut: Sisennam p. 51, 30, Perpernam 51, 29, Catilinam 51, 30, Ciceronem 63, 9, Antonium 22, 9, Caesarem 26, 19, Augustum 21, 11, Maecenatem 26, 26, Agrippam 66, 32, Claudium 9, 12, Neronem 63, 10, Titum 11, 4, Senecam 20, 3, Thraseam 10, 11. Qui uiri nonne in Q. Remmii Palaemonis aetatem optime quadrant; an censebimus a quarti p. Chr. saeculi grammatico eos exhibitos esse? An dicendi Palaemonis genus quarto saeculo conuenit? Minime hercle! Jam uero

docendi rationem quarti p. Chr. saeculi grammaticos prorsus respuere postea magis apparebit. Schottmueller enim quantopere Palaemonis ars a Charisio confusa ac circumcisa esset, neque uidit neque opinatus est omnino. —

At inspiciamus paulo accuratius Palaemonem istum, quem ab infima quarti saeculi parte Schottmueller arcessiuit. Qui ni fallor nullus omnino fuit. Exhibet enim Sidonius Apollinaris in epistola, quam ad Sapaudum quendam misit, libri V decima: 'Tua uero tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi diuisio Palaemonis, grauitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agroecii disciplina, fortitudo Alcimi, Adelphii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorii non modo non superiora, sed uix aequi parabilia scribantur.' — Laudata igitur est disponendi Palaemonis ars. Quam artem in eam, quae apud Charisium exstat doctrinam cadere cum iam a Schottmuellero obseruatum est tum ex eis, quae postea expositurus sum elucebit. At Schottmueller Palaemonem istum, quod plerique scriptorum laudatorum quarto uel quinto saeculo adnumerandi essent, et ipsum ei aetati adscribi debere coniecit. At coniciamus id, num necesse est? Quid, nonne etiam Quintilianus eodem loco laudatus est a Sidonio, ut iam Keilius Gr. L. V, p. 334 optime monuit? Palaemonem eum quidem rhetorem, qui arti quoque grammaticae operam nauauerit, fuisse ne compertum quidem habemus; hoc tamen scimus grammaticum fuisse eumque Q Remmium. Ea uero, quae apud Charisium exstant grammatica, cum quia cum Quintiliano conspirant, Q. Remmii Palaemonis sunt, tum quarti p. Chr. saeculi grammaticos siue rhetores longe superant. Atque quid impedit, quin Palaemon noster etiam a quinti p. Chr. saeculi laudatus sit scriptore, praesertim cum illius artem in multiplicem ac diurturnum scholarum usum uenisse ac saepius exscriptam esse constet. Namque et Diomedes (I, 403, 18; 415, 16) et Consentius (V, 375, 8) et Priscianus (II, 35, 27) et Cassiodorus (VII, 214, 24), quos grammaticos quarto quinto sexto p. Chr. saeculis addicere solemus, eum appellant. Eos autem grammaticos Palaemonis artem ipsam in manibus habuisse cum e rerum conexu, quo Palaemon laudatur, tum inde patet, quod non nusquam de Charisiana Palaemonis doctrina consentiunt. Qui si doctrinam

per riuulos quosdam deductam ex aliis fontibus hausissent, quid eorum non uocant auctores, sed Palaemonem ipsum? Praeterea diuersa nonnumquam praecepta ac pleniora exhibent, e quibus Palaemonis artem ab eis ipsam uolutam esse enitet. Palaemonis nimirum ars etiam tum aetatem tulit. Quid, quaeso, impedit, ne quando a Sidonio Apollinare Palaemonis nostri mentio facta sit?

Iam ea Schottmuelleri sententia, qua Palaemonem rhetorem ac grammaticum in Gallia transalpina artem professum esse censuit, luculentissimis omnium haud scio an refellatur argumentis. Nam Charisianum Palaemonem Romae uixisse ibique artem docuisse grammaticam praestantissimis documentis confirmatur. Etenim Palaemoni nostro, cum non numquam opera, locos, alia Romae posita celebrauerit, urbem percognitam fuisse manifestum est. Conferamus exempli gratia pauca: 'fori, loca spectaculorum' I p. 32, 19; 'Esquiliae, *τόπος ἐν Ῥώμῃ*', 33, 10; 'haec palaria, cum milites ad palos exercentur', 34, 4; 'haec Parentalia ubi eos, qui peregre moriuntur, colunt', 34, 5; 'haec rostra, locus in urbe, ubi contionantur', 34, 6; 'bustar, locus ubi cremantur mortuorum corpora', 38, 19; 'lucar, *θεατρικὸν ἀργύριον*', 38, 20; 'haec battualia, *αἱ γυμνασίαι τῶν μονομάχων*', I, 549, 35; 'Terminalia, *ὁροθέσια οἷς Ῥωμαῖοι θύουσιν* tempora *κρόταφα*', 550, 15. — Quae exempla et ab excerptore, qui uocatur Bobiensi seruata sunt. Adde, quae p. 93, 29 de nominum deriuationis diuersitate leguntur: 'Nam cum sit Agrippa, mulierem Agrippinam dicimus, thermas uero Agrippinianas. Item cum sit Nero ut leo, pelles leoninas, thermas Neronianas dicimus. Item cum sit Titus et lupus similia, thermas Titinas ut pelles lupinas non dicimus, sed Titianas'. — Quae ad Romam urbem referenda esse nemo negabit. At transalpinus ille Palaemon, si in Gallia 'magna cum gloria professus esset', cur Romae solius appellauit instituta ac non ea, quae ad Galliam prouinciam pertinent; tum si quarti p. Chr. saeculi grammaticus fuisset, cur aedificia in exemplum uocauit, quae eo tempore nulla iam fuerunt? Neque enim ullum inueni exemplum, quo prouinciam illam indicatam esse putaremus. Thermae autem Agrippinianae, ut hoc uno uerbo

tangam, incendio sub Nerone orto deletae[1]) quamquam restitutae sunt, tamen, quoad inuestigare mihi contigit, non in quartum p. Chr. saeculum permanserunt. Porro thermae Neronianae — nam de Titianis in fine huius disputationis exponam — ab Alexandro Seuero amplificatae inde ab eo tempore Alexandrinae dictae sunt.[2]) — Quid, nonne et hoc nouum argumentum est, quod primi solius saeculi thermae eaeque Palaemonianae aetatis appellantur et non eae, quae quoniam magnificentiores erant, illas gloria superarent Domitianas dico, Traianas, Diocletianas, Constantinas? —

Quae omnia si quis secum reputauerit, quin alterum illum quarti saeculi Palaemonem furca depellat, facere non possit, accedatque ad eam sententiam, quam primus tulit uir doctissimus Henricus Keilius,[3]) qui magno acumine summoque labore grammaticorum copiis excussis hoc nobis otium fecit: esse ea, quae apud Charisium aliosque sub Palaemonis nomine feruntur grammatica, profecta a Q. Remmio Palaemone. Ac ne Schottmueller quidem in illum errorem inductus esset, si qua ratione Charisius in transcribenda Palaemonis arte usus esset, perspexisset. Palaemonis nimirum ars simile quoddam perpessa est ac Verrii et aliorum multorum eiusmodi libri, qui saeculis ruentibus, cum imperatorum saeuitia et fatis imperium urgentibus omnes fere artes liberales consenescerent grammaticaeque disciplinae ad circuitum quemuis exiguum redactae essent, contrahebantur ac circumcidebantur omissis eis, quae ad tardiora ingenia minus apta erant; praeterquam quod Charisius etiam rerum ordinem a Palaemone institutum corrupit. Quodsi operum et artificiorum siue pictorum siue ex aere factorum membra seiuncta non eam speciem ac uenustatem oculis praebent, quam in uno coniuncta corpore solent, num in frustulis illis Remmianae doctrinae Charisia-

---

[1]) Dio Cass. 66, 24.

[2]) cf. Becker: Handb. d. röm. Alterth. p. 683 sqq.; Orelli: Regionen d. St. Rom p. 74; 85; 185 sqq.; Platner-Bunsen: Beschreib. d. St. Rom I, p. 185 sqq.

[3]) Gram. Lat. I, p. XLIX.

nis concinnitatem auctoritatemque desiderabimus! Sed iam abripior ad ea, quae demonstraturus sum.

Alterum Palaemonem nullum fuisse quoniam comprobasse uidemur, ad Charisium aduertimus animos, ut quod instituimus, primum ex eius arte Remmianam doctrinam eruamus. Iam artem suam non e suis copiis, sed ex aliorum praeceptis grammaticorum compositam esse Charisius in praefatione ad filium data p. 1 ipse fere confitetur dicens: 'Amore Latini sermonis obligare te cupiens, fili karissime, artem grammaticam sollertia doctissimorum uirorum politam et a me digestam in libris quinque dono tibi misi . . . Erit iam tuae diligentiae frequenti recitatione studia mea ex uariis artibus inrigata memoriae tuisque sensibus mandare, ut quae originalis patriae natura denegauit, uirtute animi adfectasse uidearis.'

At Charisius cum hortulos suos aliorum riuulis inrigauerit, tamen e suis studiis aut copiis, ut statim hoc loco id ponam, aut parum aut nihil addidit; quin etiam mira quadam inscitia neglegentiaque doctissimorum artibus uirorum in transcribendo usus est. Nam cum non satis perspiceret, quid maioris aut minoris momenti esset, nonnumquam grauissima praetermisit, alia in alium locum transtulit. Quamquam ei, cum incredibili quadam inscitia auctorum suorum libros presserit praeceptaque sine discrimine descripserit, gratiam habebimus uel maximam, quod quae recepit, mera plerumque nec dissimulata transcripsit neque nusquam auctores, a quibus doctrinam petiuit, commentariis praefixit. Nam si Charisius nobis non esset, Palaemonianae artis restituendae etiamsi reliquorum omnium grammaticorum, siquidem liceret, frustula congessissemus, omnem spem abiceremus. Qua tamen Charisii probitate ac simplicitate efficitur, ut etiam aliis locis, quibus quid a quo adsumpserit, non addidit, auctores indagare possimus; atque cum ex optimis fontibus praecepta sua hauserit ac coaceruauerit, praestabilem inter artium scriptores locum obtinet grammaticus. In primo autem libro, ut summam eorum, quae insequenti disputatione effecisse uidemur, praemittam, Charisius tribus usus est auctoribus: Palaemone, C. Julio Romano, Cominiano. Atque a Palaemone regulas generales maxime et scriptorum exempla, a

Romano exempla, a Cominiano regulas nonnullas accepit. Romanus et Cominianus Palaemonis doctrinam iam compilauerant. A Palaemone, cui plurima debet, Charisius tum ad Romanum delapsus est, cum illius doctrina nimia atque uberior ei uisa est. — In secundo libro eam plerumque secutus est consuetudinem, ut Cominiani particula praemissa ad Palaemonis doctrinam pergeret ampliorem. Qua ex parte transcripta ad Romanum, qui e Palaemonis aliorumque scriptorum exemplis breuiorem commentarium confecerat, sese contulit. — In tertium et quintum librum Palaemonis tantum modo praecepta transtulit. De quarto libro, quo de Palaemonis doctrina quaestio non est, equidem nihil statui.

Atque in Charisianam artem nunc incubiturus in eruenda singulorum auctorum doctrina maxima, qua potero diligentia utar ita, ut ira et studio uacuus discernam, quae uniuscuiusque sint neque abrogans Romano aut Cominiano, quae eis debentur, neque Palaemoni, quae eius non sunt adscribens. Denuo enim, quod u. d. Schottmueller in Charisium nuper l. l. inquirens nonnulla non tetigit, alia grammaticis eo tempore nondum plane editis a Keilio inuestigare non potuit, quaestio suscipienda est.

II. De Q. Remmii Palaemonis doctrina apud Charisium exstante.

A. De libro Charisii primo.

In conquirenda Palaemonis doctrina cum oriundum sit a tribus illis particulis, quas ex eius libro se transcripsisse Charisius ipse testatur: p. 225, 5—229, 2 de coniunctione; p. 231, 1—236, 15 de praepositione; p. 238, 23—25 de interiectione, cumque dicendi docendique Palaemonis ratio permultum ualeat, si quaeris, quidnam in eis, quas dixi particulis in dicendo grammatici proprium sit, primo loco ‘uelut’ illud posueris. Palaemoni enim ea loquendi consuetudo est, ut exemplis aut a scriptoribus petitis aut ab ipso fictis ‘uelut’ coniunctionem

persaepe[1]) praeponat, id quod u. d. Schottmueller l. l. p. 8 sq. optime monuit. Qua obseruatione Schottmueller nixus suo iusto iure et cum uirorum doctorum consensu Palaemoni certo attribuit haec: p. 186, 30—189, 24 de aduerbio; p. 168, 35—169, 24, p. 170, 1 — 170, 24, p. 170, 31 — 171, 14, p. 171, 36 — 172, 19, p. 172, 34—173, 12 de ordinibus uerborum eorumque declinationibus; p. 243 — 264, 16 de obseruationibus uerborum quibusdam; p. 291, 1 — 292, 15 de idiomatibus. Quae quin Palaemonis sint, quoniam dubitatio nulla est, liceat ex eis eicere, quae praeterea grammatici in dicendo propria sint adhibitis particulis illis a Charisio Palaemoni adscriptis.

Libenter ac facile dictionibus utitur Palaemon, quae cum ueniendi uerbo componuntur uelut: 'in praepositiones uenire' i. e. transire, p. 232, 1; 'in e breuem uenire' i. e. finiri, p. 187, 5; 'ex nominibus ueniunt comparationes et superlationes' i. e. formantur, p. 189, 9; cf. p. 188, 12; 249, 6, 10; 261, 31; 'uenire ab' p. 252, 13; — deinde efferendi uerbo notione dicendi finiendi utendi cf. p. 173, 8; 188, 4; 227, 30, 30; 228, 3, 13, 16, 16, 19; 248, 16; 256, 12; 263, 8; 291, 2, 8, 13. Quorum multa similia eius significationis uerba admissa sunt, unde simul hoc elucet loquendi uarietate grammaticum usum esse. Sed pergamus: uerborum coniugationes, quae uocantur, et 'ordines' p. 168, 35 sqq., 236, 13 et 'coniugationes' 252, 30, 31; 255, 26, 27 et 'declinationes' 169, 4, 6; 236, 10; 249, 6; 225, 27; 256, 3; 260, 7; 262, 14 Palaemon dicit; uerborum modos: et 'qualitates' 169, 7; 226, 11; 262, 26; 263, 10 et 'modos' 169, 6, 7; indicatiuum modum: et 'pronuntiatiuum' 169, 7 et 'finitiuum' 169, 7 et 'indicatiuum' 170, 13; 171, 3; coniunctiuum modum: et 'subiunctiuum' 169, 8 sqq. et 'coniunctiuum' 169, 8; praesens tempus: et 'instans' 169, 12; 263, 3 sqq. et 'praesens' 247, 13; 248, 18; 254, 22, 23; 263, 3;[2]) — accusatiuum casum,

---

[1]) Palaemonem praeter 'uelut' etiam aliis coniunctionibus in exemplis adferendis usum esse postea euincemus.

[2]) Minime probanda est Schottmuelleri coniectura, qui l. l. p. 11 singulis quibusdam temporum et modorum significationibus Palaemonem usum esse censuit. Immo Palaemon in ea particula, quam u. d. ei tribuit, p. 169, 7 ipse profitetur: 'Nam modi uerborum siue qualitates sunt quin-

quem uulgo dicunt, et 'accusatiuum' 231, 6; 233, 10; 236, 8 et 'incusatiuum' 231, 2; 254, 2, 5. Haec quidem de loquendi significandique Palaemonis proprietate; in uniuersum dicendi eius genus tale est, quale potius primo ante quam post Christum saeculo adscripseris; uix enim exceptis significationibus artis grammaticae propriis inuenies indicium, quod sermonis corrupti a primo fere p. Chr. saeculo incipientis indolem nobis prodat. — De docendi uel disserendi Palaemonis ratione ut pauca proponam — nam plenam et ab omni parte completam rationem constitui e Charisianis Remmianae doctrinae frustulis non licet, neque id ad hanc disputationem attinet — haec ad detegendam Remmii doctrinam idonea uidentur.

Diligentissime grammaticus Latinam linguam cum Graeca comparat, id quod iam u. d. Keilius I. praef. p. XLIX uno uerbo tetigit, modo Latinum enuntiatum Graeco apposito interpretans modo ex Graeca dicendi ratione repetens Latinam. Etenim Palaemonem Graecorum dicendi consuetudinem ad constituendum sermonem Latinum maxime necessariam duxisse ubiuis perspici potest. Quin etiam p. 292, 16, quod quidem a Remmio profectum esse postea demonstrabo, ipse hoc fere indicare uidetur dicens: 'Cum ab omni sermone Graeco Latina lingua pendere uideatur, quaedam inueniuntur uel licentia ab antiquis uel proprietate linguae Latinae dicta praeter consuetudinem Graecorum, quae idiomata appellantur'; cf. p. 291, 2—8.[1]) Saepenumero deinde ueterum loquendi usum consulit, cf. p.

---

que: pronuntiatiuus seu finitiuus, optatiuus, subiunctiuus seu coniunctiuus, infinituus'; et p. 263, 3: 'sunt enim tempora instans, quod et praesens...' Unde dilucide apparet uaria nomina a grammatico esse posita. Miror uirum doctum in eo non offendisse. Ceterum grammaticos eosque primi p. Chr. saeculi tam artis dicendi significandique finibus contentos fuisse quis est, qui credat.

[1]) Palaemonem sicut Varronem Graecis grammaticis Dionysio Thraci in docendo se applicasse definitionesque grammatices aliaque ab eo mutuatum esse cum iam u. d. Uhlig proleg. ad Dion. Thr. p. VI, 36 suspicatus est, tum grammaticis inter se conlatis comprobatur. Quod ut paucis explicem, Dionysius p. 86: *Σύνδεσμος*, inquit, *ἐστι λέξις συνδέουσα διάνοιαν μετὰ τάξεως καὶ τὸ τῆς ἑρμηνείας κεχηνὸς δηλοῦσα.* Similis Palaemonis coniunctionis definitio a Charisio omissa apud Diomedem I,

188, 13; 189, 19; 234, 8; 247, 28; 248, 2; 249, 12; 252, 25; 256, 24; 261, 25; 262, 14, 20; 264, 3; quaerit etiam, quid in usu sit, quid consuetudine abolitum, cf. p. 246, 18; 247, 28; 252, 20, 24; 253, 11.

Scriptores ad docendam linguam pauci testes adhibiti sunt, neque id mirum. Quid enim opus est auctorum exemplis, dum doctrina aeque apteque profluit? In eis enim, quae a Charisio nobis seruata sunt, non nisi ratio dicendi siue regula explanata est, quae auctoritatem parum desiderat. Itaque grammaticus cum plerumque ipse exempla suum in usum sibi fingat, scriptores, si qua quaestio est, excitat. Inter quos maximam auctoritatem Ciceroni tribuit cf. p. 225 sqq; 232 sqq; 264, 5; deinde in rebus leuioribus Vergilio quem, ut Graeci

---

p. 415, 16 exstat: 'Coniunctio est pars orationis conectens ordinansque sententiam.'

Coniunctionum species a Dionysio p. 88 sqq. proponuntur: 1) *συμπλεκτικοί*, quas Palaemon p. 225, 16 copulatiuas uocat; 2) *διαζευκτικοί*, Pal. p. 225, 26: disiungendi *διαζευκτικοί*; 3) *συναπτικοί*, a Pal. p. 225, 25 ad dubitandi speciem reuocatae: dubitandi *διστακτικοί*; 4) *παρασυναπτικοί*, a Pal. p. 225, 17, 20 causalium et rationalium coniunctionum numero insertae; 5) *αἰτιολογικοί, ὅσοι ἐπ᾽ ἀποδόσει αἰτίας ἕνεκεν παραλαμβάνονται*, Pal. p. 225, 17: causales ... hae enim ubi causa redditur, rerum coniungere orationem solent; 6) *ἀπορρηματικοί*, quibus quae respondeant in Palaemonis coniunctionum conspectu non inueniuntur; Charisius enim eius commentarium non plenum transcripsit, quod inde patet, quod 'num' aliaeque coniunctiones quomodo in usum ueniant, quamuis exponatur (p. 227, 19), tamen non in numerum coniunctionum (p. 225, 16 — 226, 10) receptae sunt; 7) *συλλογιστικοὶ δέ εἰσιν, ὅσοι πρὸς τὰς ἐπιφοράς τε καὶ συλλήψεις τῶν ἀποδείξεων εὖ διάκεινται*, Pal. p. 225, 20: rationatiuae *συλλογιστικοί* . . . dictae autem sunt rationatiuae, quod quamque rem praepositam ratione confirmant; 8) *παραπληρωματικοί*, a Pal. p. 226, 2 repletiuae *ἀναπληρωματικοί* et expletiuae dictae.

Quod nonnumquam coniunctiones aliter dispositae sunt a Palaemone aliter a Dionysio et quod coniunctiones quaedam aduerbiorum quoque numero p. 187 sqq. insertae sunt, in ipsa causa positum est nec quicquam offensionis habebit eis, qui ne Graecos quidem grammaticos ea re sibi constitisse nouerint; nihilominus tamen Latinum grammaticum ad Graecum accessisse manifestum est. Sed quod Palaemonis uestigia prorsus nondum persequi licet, imperfectum autem quoddam praestare a meo consilio alienum est, id indicasse satis habeo.

Homerum, p. 233, 10, 20 poetam *κατ' ἐξοχήν* uocat. Quorum exempla circumscribendo declarat librorum titulo modo apposito modo omisso. Praeter quos prostant Terentius p. 227, 24, Horatius p. 228, 10, Catullus p. 259, 25 ad designandum ueterum dicendi usum, Sallustius p. 253, 11 eo consilio ut, quomodo non dicendum sit, demonstretur — profecto pauci scriptores adsentiente tamen Quintiliano, qui I, 4, 20 adfirmat: 'Alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes orationis secuti sunt, ut Aristarchus et aetate nostra Palaemon.'[1])

Grammaticorum aequalium rara mentio occurrit, nisi quod p. 187, 20; 225, 29, 31 Plinius ter laudatus est. Palaemon enim istorum sententias uniuerse respicere consueuit suum ipsius iudicium plerumque subiungens ita: 'quidam putant' p. 187, 22; 'recentiores uoluerunt' 188, 15; 'alii adiecerunt' 189, 6; 'quidam

---

[1]) Hoc loco Schottmuelleri sententiam paucis uerbis percensere liceat, qui l. l. p. 28 sq. propter scriptorum inopiam exhibitorum uehementer in Palaemonem inuectus est docendi eius ratione parum perspecta. Ac primum quidem Palaemonis doctrinam ridiculam esse equidem non inueni. An ridiculum censebimus esse, quod hodie quis librum aliquem grammaticum in usum scholarum composuit. Quid uero scriptores, nonne et nos paucos ad confirmandum dicendi usum adhibemus? Est sane egregie a Palaemone factum, quod teste Quintiliano ex paucis et idoneis consecutus est dicendi rationem scriptoribus idque, quod reliquiae eius ostendunt, ex eis, qui hodie quoque in scholis praeferuntur. An ars grammatica in eo solo uersatur, ut exempla aggerentur, id quod Romanus, Nonius, alii consecuti sunt grammatici compilatores, qui scriptorum uerbis undique surreptis ac sine ullo fere consilio accumulatis commentarios aliquot consarcinauerunt. Namque et Romanum Palaemonis librum compilasse, quando ad eum uenero, demonstrabo. Quorum doctrinam etsi haudquaquam contemno, tamen multo pluris rationem existimo eorum, qui ex ipsorum scientiae penu, quae habent, ea tradant praecepta. Quodsi in eis, quae apud Charisium exstant, ratio tantum loquendi inuenitur, eius rei causa haec est, quod Charisius non plenam Palaemonis doctrinam, sed ea, quae eius aetati apta et accommodata uisa sunt, recepit. Nam ut non dicam Remmii doctrinam, quae est de ratione dicendi, a Charisio mutilatam esse, loquendi usum in scriptores peruulgatum ab eo plane praetermissum esse postea uiderimus. Spernenda est igitur ac futtilis iudicandi ratio, qua u. d. Schottmueller usus est. Quod autem Palaemoni, qui Vergilium poetam appellasset, Vergilium non notum fuisse censuit, eam uiri docti sententiam iam Schoell, Mus. Rhen. 34, 630, satis refellit, ut plura uerba facere mittam.

posuerunt' 225,28; 'alii dicunt' 226,5; 'nonnullis uisum est' 232,29; 'quidam referunt' 234,22; 'errant qui putant' 256,6; 'sunt qui ita dicunt' 260,3; 'sed quidam dicunt' 261,4; cetera.[1]) Quae grammaticorum quasi placita, quoniam iterum ac saepius adlata sunt (cf: p. 188,26; 189,9,19,23; 252,16; 259,9; 261,3; 262, 18), ansam praebent cognoscendae Remmianae doctrinae. His facile et eodem consilio adduntur dictiones monendi urgendique causa adhibitae: 'etenim dicimus' p. 188, 16; 'quaestio oritur' 189,3; 'obseruabimus dicere' 189,21; 'peccant qui' 232,13; 'illud tamen obseruabimus' 249,1; 'adnotandum tamen est' 249,5; 'nemo enim dicit' 249, 10, 14; 254, 8, 13; 'dicimus enim' 254, 11; 'dum illud tamen sciamus' 254, 14; 'quaerendum est' 255,10; 'ita tamen ut intellegamus' 255,26; 'inuenimus apud auctores' 257, 2; 'uidendum est ne' 260,5; 'admonendi tamen sumus' 262,12; 'non enim dicimus' 262,15; 'reperimus apud ueteres' 264, 3; 'scire autem et meminisse debemus' 291,9; aliae.

Verba ut p. 168, 35 sqq. 236,10—15 in quattuor ordines sic itidem nomina diuisit; indicatae quidem sunt nominum declinationes prima secunda tertia p. 188, 12, 14; quarta p. 292, 5. — Quantopere accentus ad uim ac potestatem uerborum pertineant, quaeritur p. 189,10; 225, 21; 227, 30; 228, 3, 8, 9, 13, 16, 19; 231, 5, 24; 232, 19; 234, 18. — Porro Palaemon, quae est docendi eius ratio, ubique res, etiamsi uere proprieque de eis non agitur, tamen si alias contingant, leuiter perstringit. Quo factum est, ut diuersis nonnumquam locis eadem praecepta si non eodem uerborum circuitu tamen simili modo tradita deprehendantur. Accidit etiam, ut id ipse indicet uelut in aduerbiorum illa particula p. 188, 18, ubi de ciuitatium no-

---

[1]) A Charisio ea addita esse ne credamus, prohibemur eo, quod arte Remmianae doctrinae intexta sunt et quod Diomedes aliique, qui a Charisio non pendent, eadem transcripserunt. Sic Diomedes p. 416, 18, 27, ut unum exemplum proponam, Plinii sententiam eisdem fere uerbis, quibus Charisius p. 225, 29—32 tradit.

Similiter Dionysius Thrax aliorum sententias perstringere solitus est cf. p. 16, 3; 100, 2: *τινὲς δὲ προστιθέασι καί.* p. 57, 3: *τινὲς δὲ καὶ εἰσάγουσιν.*

minibus, quibuscum casibus iungantur, exponitur: 'Quamquam,' inquit, 'cum de praepositionibus dicere coeperimus, etiam de hoc plenius adnotari necesse est.' Respicit ad p. 232, 3—6; 29—32, ubi tamen, quoniam Charisius praepositionum Palaemonis commentarium non saluum recepit, plenior illa doctrina non inuenitur. Unde simul liquet in Charisium uerba ista non cadere. Item p. 231, 24: 'Quaedam (sc. praepositiones) similiter ex uniuersis mutato accentu in aduerbia accedunt, quae etiam in aduerbiis notauimus' i. e. p. 189, 10. Etenim libentissime Palaemon tangit, quae tractauerit et quae tractaturus sit ut p. 182, 20, ubi haec exstant: 'Plinius Secundus inter aduerbia qualitatis posuit dicendo legendo dicendi legendi, quae quidam amplius uerba putant infinitiua uel usurpatiua, de quibus supra notauimus'. Spectat ad p. 175, 25: 'Verba supina sunt haec, docendi docendo docendum doctum doctu. Quae quidam declinant post finitiua adiungentes non similia; quidam putant uerba infinita; alii inter aduerbia qualitatis posuerunt'; cf. p. 169, 21; 170, 11; 171, 2; 172, 18. p. 189, 6 grammaticus sic exhibet: 'Inter aduerbia numeri haec quoque alii adiecerunt, quot tot quotquot aliquot; quae ita posita inter aduerbia non est nostrae aestimationis reprobare. Certe inter aptota nomina pluralia posuimus, sicut praecepta magistri nostri. Alii inter pronomina posuerunt'. Quae huc pertineant, reperies in capite libri primi XII p. 36, 6: 'Sunt quaedam pluraliter tantum monoptota communia in numeris posita, uelut tot quot aliquot quotquot. Haec alii posuere inter aduerbia'; excerptor Bob., qui hoc loco Palaemonis doctrinam accuratius transcripsit, I p. 551, 21 praeter alia haec praebet: 'Haec alii inter pronomina posuerunt, alii inter aduerbia.' Ex eo autem, quod excerptor, quem Charisii libro usum non esse constat, eadem tradit, sine ulla dubitatione sequitur a Charisio ea orta non esse. p. 249, 1 haec inueniuntur: 'Illud tamen obseruabimus quod, quamuis dicatur confidendum audendum, figura dicitur non participio; quod ipsum etiam ab omnibus uerbis figurari potest, de qua figura iam adnotauimus'; adnotatum autem est p. 165, 23: 'Luctandum non dicimus; luctandum tamen dicimus figura illa, qua in omnibus uerbis utimur, uelut luctandum mihi est, eun-

dum est, gaudendum est, standum mihi est, ueniendum est. Item e contrario . . .' p. 254, 1, ubi de impersonalibus quaeritur, haec prostant: 'Nam tertia persona tantum exauditur, quod alio loco plenius adnotauimus'; scilicet p. 166, 16—22: 'Quaedam uero sine persona solam rem per tempora ostendunt, ut curritur, currebatur curretur. Haec enim nec pluralia fieri neque ad personam referri possunt . . .' Conferenda sunt praeter alia: p. 228, 4 : 227, 21; 247, 18 : 247, 13; 250, 10 : 248, 10; 254, 13 : 254, 5—8; 254, 16 : 165, 25—32; 259, 8 : 257, 15, 26; 260, 3 : 259, 9—25; 261, 33 : 257—261; 291, 18 : 291, 11. A Charisio igitur loci illi laudati non sunt. Primum enim uerba ista, quae ad alios spectant locos, Remmianae doctrinae tam arte inserta sunt, ut de Charisio cogitare prudenter mittas; deinde, quod iam supra addidi, Diomedes, excerptor, alii, qui Charisii librum non usurpauerunt, eadem praecepta nonnumquam tradiderunt; accedit tertium, quod plenior, quae indicata est doctrina interdum non inuenitur. Denique ipsa Charisii describendi ratio, quam suo loco iam denotauero, ne ei haec tribuamus, dissuadet; contra in Remmium, quem memoria rerum homines cepisse Suetonius adfirmat, ea optime cadere facile concedes. Itaque a Palaemone quasi ipso ad eius doctrinam, ubi inueniatur, deducimur. Euenit etiam ut, quae docturus sit, in fronte capitum indicet, ut p. 262, 26: 'Qualitates sermonis Latini certissimas, quibus tempora copulata sermone conectuntur, istas accepimus, finitiuam optatiuam subiunctiuam (cf. p. 226, 6 sqq.), quas notas omnibus certo scio, ideoque de his, quid quaeque significet, simul, quod non alienum ab re est, tempora quoque omnia principalia et quae ex his deriuantur explanabimus.' Quae indicata doctrina a grammatico in eis, quae sequuntur, accuratissime absoluta est.

Quam secutus sit Palaemon disponendi rationem, ex particulis illis a Charisio ei adscriptis aliqua parte cognoscere possumus. Coniunctiones eae quidem p. 225 sqq. digestae sunt ita: definitione, quam a Charisio neglectam esse supra p. 22 monui, et quae huic orationis parti acciderent (ordo figura), praemissis coniunctionum singulae species enumerantur unaque potestates exarantur; quae uero sit earum uis ac potestas exem-

plis ab ipso fictis inlustratur. Sequuntur inde a p. 226, 11—229, 2 coniunctiones quibus qualitatibus siue modis iungantur, dicendi ratio, quae exemplis ab optimis scriptoribus petitis firmatur. Quorum uerba circumscribendo ac declarando expediuntur. Quibus subiunctum fuisse dicendi usum in scriptores late patentem, a Charisio, qui ad Romani breuiorem commentarium pergeret, oppressum, inde discito, quod p. 189, 25—190, 4 aduerbiorum, quomodo apud scriptores in usum uenirent, doctrinae frustulum e Palaemonis libro a Charisio receptum seruatumque est. E Palaemonis enim disponendi arte, quam summam esse postea exsequar, coniciendum est loquendi usum, qualis apud scriptores plane inuenitur, rationi dicendi, quae est de coniunctionibus, additum fuisse simili modo, atque in aduerbiorum illa particula deprehendatur. Ceterum ne ea quidem, quae Charisius p. 225, 5—229, 2 praebet, plenam usque Palaemonis doctrinam efficiunt. Quod facile intelleges, si coniunctionum numerum, qui prostat p. 225, 16—226, 9, comparaueris cum eis, quae sequuntur. Namque non nisi de minima earum parte, quemadmodum pro ratione dicendi qualitatibus iungerentur, expositum est; deinde quaedam coniunctiones, quae conspectui p. 225, 16—226, 9 insertae non sint, tamen in insequentibus paginis ad rationem dicendi reuocatae sunt. Ergo neque haec neque illa integra sunt. Sed haec postea magis apparebunt.

Disserendi Palaemonis genus, ut id denique addam, facile profluens continuum est eis praesertim in partibus, quae saluae a Charisio receptae sunt, libro III, praecepta praeceptis adserens ita, ut uel inde concludas, ubi doctrina interrupta aut deprauata sit, ubi non item, utque in mentem tibi ueniat Suetonii illud: Palaemonem facilitate sermonis homines cepisse. Atque haec quidem hactenus.

Iam uero in dicendo docendoque quae Palaemonis essent, e particulis illis aut a Charisio ipso aut a Schottmuellero firmo argumento ei tributis quoniam, ut oportuit, emisisse uidemur, ueniamus aliquando ad librum Charisii primum, unde exorti

totius Charisianae artis singula capita ex ordine percenseamus; quo facto ad Dositheum et ad excerptorem Bob. pergemus.

Atque de nouem prioribus primi libri capitibus, quae breuibus commentariis continerentur nihil statui licere, etsi Schottmueller ille quidem l. l. p. 18 censuit, nihilominus tamen rebus conlatis dilatisque auctorem eorum erui posse confido. Age porro, adoriamur. Iam I et II 'de grammatica' et 'de uoce' capita codicis defectu plane, caput III ex parte perierunt. Capite III inde a uersu VII p. 7 — 11, 7 litterarum singulae species earumque functiones explanatae sunt. Cuius initium a Dositheo VII p. 381 seruatum est. [In eis enim, quae interierunt apud Charisium, litterae definitio scripta fuit ita: 'Littera est elementum uocis articulatae. Elementum est uniuscuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum et in quod resoluitur. Accidunt unicuique litterae nomen figura potestas'. Quae sequuntur de litteris, et a Charisio et a Dositheo simili modo proferuntur. Inter utrumque ea sola differentia est, quod modo hic modo ille diligentius uice uersa fonte exhausto plura recepit ita, ut nunc Charisius nunc Dositheus pleniorem doctrinam praebeat; ceterum uerbo tenus eadem praecepta exhibent. Quae plenior doctrina, quoniam etiam apud Diomedem I p. 422 sq. occurrit, a neutro inuenta esse potest. Unde simul euidenter demonstratur nec Dositheum a Charisio nec Charisium a Dositheo pendere. Ea, a quibus Charisii commentarius incipit, ad Dosithei doctrinam supra promptam arte se applicant. Pergit enim uterque grammaticus docere: 'Nomen est quo appellatur, figura qua notatur, potestas qua ualet. Litterarum aliae sunt uocales, aliae consonantes . . .' Quem 'de litteris' commentarium ab uno eodemque ortum esse auctore cum e disserendi uia tum inde elucet, quod uterque grammaticus doctrinam uerbo tenus eandem reddidit.

Caput IV, quod p. 11, 8—13, 15 'de syllabis' refert, duas particulas amplectitur: p. 11, 8 — 12, 3 et p. 12, 4 — 13, 15 his uerbis disiectas: 'Aliis ita de syllaba placuit definire'. Priorem quam posui partem Dositheus p. 386, 8 — 347, 8 uerbo tenus eodemque ordine deriuauit; quo efficitur, ut ab eodem, a quo caput III, auctore sumpta sit; mirum enim esset grammaticos,

si diuersos fontes adiissent, eodem ordine res posuisse. Sed accedunt alia. Altera enim, quam dixi pars ex eodem libro, e quo prior hausta est. Quod inde probatur: primum enim aliorum sententia tacta grammaticus p. 12, 7 ad suam ipsius doctrinam reuersus quasdam regulas eisdem uerbis, quibus in priore particula repetit; deinde e Vergilii uerbis 'nox erat' p. 12, 20 et 'axe sub aetherio' p. 12, 21 exempla excitata sunt 'nox' et 'axis' p. 11, 22; tertium quod grauissimum est, auctor huius particulae p. 12, 22 ad caput III p. 11, 6 eodem exemplo e Vergilio exhibito respicit dicens: 'ut supra cum de litteris loqueremur ostendimus'. Quae cum ita sint, ut et prior huius capitis particula, quam Dositheus eodem ordine admiserit, et posterior, in qua grammaticus ad caput III ut suum respexerit, ex eadem origine, e qua caput III, ducta sint, sequitur et priorem capitis nostri particulam et posteriorem unius eiusdemque auctoris esse eius nimirum, qui se supra de litteris locutum esse contendit.

Caput V, quod est 'de syllabis', pariter in duas partes p. 13, 16—14, 9 et p. 14, 10—16, 27 diuisum est. Dositheus rursus solam priorem descripsit. In qua grammaticus p. 13, 24 ad capitis IV posteriorem particulam recurrit: 'At si duae consonantes in duas syllabas fuerint diuisae, non fit communis, sed longa ut supra retulimus,' scilicet p. 12, 12; simul eadem exempla repetit cf. p. 13, 25 : 12, 2; 13, 27 : 12, 15. Ergo et haec particula ex eodem fonte hausta est, e quo caput IV. Adde quod Dositheus eodem tenore praecepta compilauit. — In altera particula grammaticus primum aliorum sententiam leuiter stringit; deinde in sequentibus paginis pleniorem ipsius de communibus syllabis doctrinam profert. Quam particulam ex eodem, e quo et priora capita, libro receptam esse inde noscimus, quod sex prioris doctrinae exempla redintegrantur; cf. p. 14, 23 : 13, 33; 14, 25 : 13, 31; 15, 13 : 14, 4; 15, 19 : 13, 25 : 12, 2; 15, 20 : 13, 36; 15, 31 : 13, 5. Nunc summam subducemus eorum, quae exposuimus: caput V igitur cum ad caput IV, caput IV inuicem ad caput III spectet, sequitur: III, IV, V capita ex uno eodemque fonte fluxisse. Quodsi recte disputauimus tria haec capita uno tenore ex eodem libro translata

esse, nunc quaestio oritur, quisnam eius libri auctor sit. Quem ut detegam, primum disserendi siue docendi genus, quod in his capitibus obseruetur, intuebor. Atque oratio ea quidem expedita ac perfacilis curritur in IV et V praesertim capitibus, quae a Charisio salua recepta sint, regulae regulam subiungens ita, ut uel inde concluseris omnem hanc doctrinam ex uno ore quasi fusam esse. Veniendi uerbum, de quo supra p. 21 dixi, bis occurrit p. 13, 28: 'in unitatem uenire' i. e. coniungi cum et p. 13, 29: 'uenire cum', quod idem significat. De docendi genere primum id monendum est, quod Graeca lingua undique conlata est cum Latina. Veterum dicendi usus satis subtiliter examinatur p. 16; inter scriptores, quia hic de syllabarum quantitate, ut fere dicimus, quaestio est, Vergilius solus testis exhibitus est; cui p. 15 et 16 summa auctoritas tribuitur. Grammaticorum sententiae uniuerse tactae sunt: 'haec littera a quibusdam negatur' p. 8, 14; 'superuacuae quibusdam uidentur' 8, 16; 'aliis placuit ita definire' 12, 4; 14, 10; 'non ut putant plurimi' 15, 24. Nec desunt dictiones in hunc modum: 'consideranda igitur est' p. 15, 15; 'etiam id magna cura uidendum est, quod' 16, 5; 'inuenitur tamen apud Vergilium' 16, 9. Satis diligenter denique grammaticus ea, quae docuerit, reuocat cf. p. 11, 4 : 8, 20; 12, 22 : 11, 6; 13, 24 : 12, 12; 13, 28 : 13, 20 : 13, 22; 15, 4 : 14, 26; 15, 24 : 15, 15. Quae omnia si comparaueris cum eis, quae supra p. 21—28 de Palaemonis dicendi docendique ratione exposui, facile concedes miram quandam similitudinem hinc illinc cerni. Accedit quod pari modo res dispositae sunt et quod uel in capite V, p. 16 docendi Palaemonis ea ratio indicata est, de qua, quando ad huius libri caput XV peruenero, pluribus uerbis disseram: quas linguae leges ueteres secuti sint quaeritur; utrum ratio an consuetudo in dicendo ualeat discernitur; incultae uetustatis loquendi horror repudiatur. — At ne sit horum capitum Palaemon auctor; uideamus quonam uenturi simus aliam ratiocinationis uiam ingressi. Charisius enim et Dositheus, quod postea aperiemus, eam, quae subsequitur doctrinam e Palaemonis libro deriuauerunt. Quae cum ita sint, ut et in praecedenti et in subsequenti doctrina uterque unum eundemque

fontem adierit, in sequenti autem uterque Palaemonis librum descripserit, num censebimus grammaticos in eis, quae praecedunt, quae et ordine et uerbis inter se conueniunt, alterius librum inspexisse? Non, hercle, nisi forte grammaticos conspiratione quadam in transcribendo usos esse statues. Ergo quin Charisius ab initio Palaemonis librum compilauerit, dubitari omnino non potest.

Caput VI, quod p. 16, 28—17, 5 in ‘dictione’ uersatur, Charisius et Dositheus uerbo tenus idem prodiderunt. Deprehenditur haec doctrina alio loco p. 153, 21—25, ubi a Charisio Palaemonis artem usurpatam esse, cum illuc perueni, demonstrabo. Caput VII, cum duobus solis uersibus ‘de casibus’ referat, tamen Palaemoni tribuere haud dubito propterea, quod accusatiuus casus ‘incusatiuus’ appellatus est. Quem significandi usum in Palaemonem cadere supra p. 22 docui.

Capitis VIII doctrina ‘de generibus nominum’ inscripti apud Charisium p. 153, 8—20 a Palaemone repetita est; item ‘numeri et pronomina’ capitis IX occurrunt p. 153, 26 sq.[1]) — Hucusque igitur Charisium Palaemonis doctrinam occupasse enodatum uidetur.

Sequuntur ‘ordines seu declinationes’ capitis X inde a p. 18, 7—30, 25. Quod caput a Schottmuellero l. l. p. 18 propter ‘uelut’ maxime coniunctionem Palaemoni adscriptum est. Atque argumenta, quae adhibuit uir doctus ad demonstrandum capitis auctorem nihil est, quin probem. Hac autem in re aliter iudico, quod statuit Remmianae doctrinae alterius grammatici obseruationes haud raras interpositas esse hac una causa adductus, quod triciens fere exemplis ‘ut’ coniunctio pro ‘uelut’ praeposita esset. Censuit uir doctus l. l. p. 8 sq. Palaemonem, quotiens non ueterum scriptorum uerba laudaret, sed aut singula uerba in exemplum uocaret aut ipse exempla sibi fingeret, ‘uelut’ coniunctione ea semper induxisse. Quod quam falsum atque absurdum sit, facili negotio ostenditur idque eis particulis, quas Charisius Palaemoni ipse tribuit. Nam etsi paene dolui me tempus ac spatium perdere in rebus,

---

[1]) cf. quae infra de capite libri secundi VI exposita sunt.

quae aperta manifestaque sunt, tamen ne huic errori posthac locus sit, id praetermitti non debet. Primum igitur ne id quidem uerum est, quod statuit Schottmueller Palaemonem 'uelut' coniunctionem scriptorum uerbis non praeposuisse. Nam 'uelut' p. 225, 7 Vergilii uerbis praemissum est. An etiam 'uelut' ortum est a Charisio, ut 'ut' coniunctio, quam quidem Schottmueller uoluit? Palaemonem uero, ut exempla introduceret, uaria dicendi ratione usum esse probatur hisce: 'uelut' coniunctio in eis, quas dixi particulis duodetriciens occurrit: p. 225, 19; 226, 12, 33; 227, 10, 12, 16, 18, 20, 22, 26, 27; 228, 2, 8, 9, 14, 27; 231, 10; 232, 5, 16, 17, 22, 26, 33; 233, 5; 234, 6; 236, 11; 238, 24; 'ut' coniunctio deciens: p. 225, 14, 15, 32; 226, 28; 232, 20, 30; 233, 6, 7; 235, 20, 22; quod quidem Schottmueller Charisii uel librariorum neglegentia euasum esse existimauit; ergo mittamus 'ut', inspiciamus reliqua: sine ulla coniunctione et per se exempla posita sunt uiciens quinquiens: p. 225, 27; 226, 2, 3, 4, 6, 6, 15; 228, 25, 30; 231, 25, 26, 27, 28, 29; 232, 4, 14, 14, 15, 27; 233, 1, 3, 17, 24; 235, 7, 15; 'ita' et 'sic' aduerbia sexiens exemplis praemissa sunt: p. 231, 19, 20, 20; 226, 13; 227, 1; 232, 30; item 'id est', 'et sunt' septiens: p. 233, 10, 11, 15, 19; 234, 32; 235, 2; 231, 25; 'quasi' undeciens: p. 234, 11, 12, 14, 14, 23, 24, 27; 235, 3, 3, 4, 9; 'in hunc modum' et 'hoc modo' ter: p. 225, 23, 30; 225, 28; 'cum dicimus' sexiens: p. 234, 21, 27; 235, 5, 12, 17; 236, 5; demonstratiuum 'hic' nouiens: p. 225, 16, 17, 20, 25, 26, 30; 226, 2; 231, 8, 21; respicias quaeso, ut grammaticus, quod nobis quoque in dicendo ferme accidit, si quando quod explicandi genus adhibuerit, id deinceps iterumque tradiderit. — Quae omnia cum eadem, qua 'uelut' coniunctio, significatione posita sint, perspicue demonstrant Palaemonem uaria dicendi ratione usum esse. Miror uirum doctum id effugisse. An etiam ea a Charisio nata esse dicemus. Quod si statueris, tunc nimirum etiam statuendum erit tres illas particulas, quas Charisius Palaemoni adscripsit, prorsus ab eo mutatas uel potius ab ipso compositas esse. At uero Charisius ea, quae transcripsit, accurata fide transcripsit, id quod per Dositheum, per excerptorem Bob., per Diomedem, per alios probatur grammaticos atque,

3

quantum a grammaticis cum eo conlatis comperimus, e sua ipse doctrina nihil omnino addidit. Sane Schottmueller sibi persuasisse uidetur Charisium grammaticorum doctrinae suas obseruationes interdum inmiscuisse. Unde id sibi sumpserit, cum argumenta nulla addiderit, nescio. Nam e disserendi eo quidem genere id non patet et 'utputa' coniunctio, quam a Charisio p. 232, 11 additam esse ut interim concedam, tamen non obseruatio est. Sed uiro docto hac in re, cum pace eius dixerim, uenia danda est, ut qui eo tempore grammaticos non tam plane inspicere potuerit. Verum etiam 'ut' coniunctionem, quam a Palaemone alienam esse uir doctus satis mire contendit, a grammatico nostro exemplis praepositam esse cum ex eis, quae supra protuli, tum ex hoc capite X conlato cum excerptore Bob. liquet. Excerptor enim I p. 537, 15 sqq. eam, quae in capite X exstat doctrinam maxima ex parte eandem enarrat. Quem Charisii libro usum non esse hodie sub iudice non iam lis est. Itaque cum haec ita sint, ut et Charisius et excerptor eisdem locis cum 'ut' tum 'uelut' tum reliqua, quae supra dixi explicandi genera cum constantia quadam exemplis praeposuerint, num etiam hisce partibus censebimus 'ut' et 'uelut' et reliqua inter se respondentia apud utrumque grammaticum licentia quadam excerptorum orta esse? Non, nisi forte statuemus conspiratione quadam ac diuinatione et a Charisio et ab excerptore 'ut' coniunctionem et reliqua, cum in fonte 'uelut' fuerit, posita esse. Sed quid nimius sum in eis, quae per se patent! Palaemonem, qui et 'incusatiuos' et 'qualitates' et 'pronuntiatiuos' et alia multa uariandi causa extulerit, quis est, qui eum credat semper 'uelut' coniunctionem exemplis praeposuisse. Ergo Palaemon ut exempla promeret, uaria dicendi ratione usus est. Hoc quidem uerum est nec quisquam negat Remmium amore quodam ac studio 'uelut' coniunctionem sicut et ueniendi et efferendi uerba adhibuisse. Quare accedit 'uelut' non per se ualet argumentum et ubi iterum ac saepius occurrit, ibi ansam praebet uel praestantissimam cognoscendae Remmianae doctrinae, sed ubi non inuenitur, nihil est, quod de Palaemonis doctrina cogitare mittamus. Nostrum autem caput ex uno fonte fluxisse cum e disserendi uia tum inde probatur,

quod plurimae res eisdem uerbis eodemque ordine apud excerptorem reuertuntur, quod casu factum esse haud dices, nisi hoc quoque loco statues conspiratione quadam et a Charisio et ab excerptore frustula illa, apud alium grammaticum dispersa, conlecta atque hoc ordine inter Palaemonis doctrinam interposita, esse. Ceterum quanto periculo Schottmueller illum delectum sibi habuerit, paulo post uiderimus.

Verum caue putes Charisium Palaemonis de declinatione nominum doctrinam plenam atque integram in hoc caput recepisse. Alia enim praetermisit, alia in alium locum transtulit, id quod ex excerptis planum fit; quamquam ne excerptor is quidem aut omnem doctrinam aut ordinem retinuit, ut quaestio sit sat difficilis eum, quem Palaemon instituerit ordinem restituere. Sic in initio capitis, ut partim ex excerptis, partim ex eis, quae de reliquis declinationibus profert Charisius, conicere licet, satis mutilata est doctrina; p. 19,5; 20,1; 21,17; 27,17 nonnullae regulae neglectae sunt, quae apud excerptorem p. 537,22—26; 537, 40—538,2; 538,36—539,4 inueniuntur. Item in fine tertiae declinationis regulae magis magisque attenuantur, quae apud excerptorem pleniores seruatae sunt. Neque uero Charisius doctrinam Remmianam prorsus mutauit. Nam etsi nonnulla non curauit, tamen doctrinam incorruptam ab eo receptam esse per excerptorem euincitur. At dixerit quispiam: quid enim, Palaemonis ars, cum in tam multiplicem scholarum usum uenerit, nonne mutari atque interpolari potuit? Sane potuit; sed Palaemon compta quadam et expedita lingua utitur, qua regula a regula excipiatur et qua doctrina continua profluat, ut uel e disserendi uia, ubi doctrina interrupta sit cognoscas. Sunt et alia multa, e quibus corruptio, si qua inuenitur concludi potest. Equidem in hanc quoque rem maximam, quoad licebit diligentiam conferam.[1])

Nec in hoc uno capite talis rerum condicio est. Saepenumero enim initiis capitum fluctuat Charisius neque scit, quidnam potissimum recipiat, quasi nauigator quidam in altum profecturus, qui maris non satis peritus nescit, quonam primum

---

[1]) Charisius et excerptor utrum eiusdem Remmianae artis recensionis exemplari usi sint necne, nondum plane diiudicari potest.

3*

impetum faciat nauiculo; ubi uero altum nactus est, tum nauigat uelis factis parum respiciens, num portum tutus capiat id tantum modo curans, ne quis scopulus in alto se erigens damnum sibi paret, quem plane praeteruehitur; itaque ad finem uergens simulac se longius prouectum esse animaduertit, tum cessat ac desistit timensque, ne longioribus ambagibus periculum subeat, citato cursu dextra sinistraue caesis eis, quae obstant, exitum quaerit. — Ac ne quis me audaciorem iudicet in definienda Charisii transcribendi ratione parum uerendum uidetur, praesertim cum, si cui libebit, ea quae dixi, de Charisio conlato cum excerptore conligere ipsi in promptu sit. Atque hactenus de capite X.

Quae sequuntur 'Obseruationes nominum, quibus genera et numeri discernuntur' capitis XI p. 31, 25 — 35, 17 maximam partem ex unius grammatici, Cominiani libro exscriptas esse Schottmueller p. 19 uoluit, praeterquam quod obseruationes intermixtae essent haud paucae e Palaemonis libro. Atque argumenta cum nulla attulerit, qua causa uir doctus ad eam sententiam adductus sit, non intellego. Cuius rei quaestionem priusquam instituam, liceat pauca praemittere, quae in uniuersum de hoc commentario dicenda uidentur. Longe maxima enim huius capitis pars enumeratione singulorum nominum, quae 'pluralia et singularia tantum' uocant, iusto tamen ordine prolatorum continetur. Quae ab obseruationibus quibusdam ad nomina pertinentibus excipiuntur. Easdem autem res apud excerptorem p. 548, 1 — 551, 7 eodem ordine reperies, nisi quod modo Charisius modo excerptor plura nomina recepit Graeca uoce uel adlata uel omissa. Diomedes quoque I p. 327, 16—328,34 quaedam eis, quae de eadem re exhibet, suo more admiscuit. — Atque doctrina nostri commentarii iam in extremo priore capite indicata est hisce uerbis: 'Completis quinque ordinum declinationibus ueniamus ad ipsas nominum obseruationes, per quas genera et numeri discernuntur'. Quibus aperte respondet inscriptio capitis XI: 'De obseruationibus nominum, quibus genera et numeri discernuntur'. Quae uero sequuntur uerba: 'Sunt quaedam nomina, quae singulariter tantum proferuntur; sunt et quae pluraliter tantum; haec paene

maiore ex parte conlecta suo quoque ordine subiciemus' et apud excerptorem p. 548, 1 et apud Diomedem p. 327, 15 eadem deprehenduntur. Vel inde conieceris ea omnia non a Charisio, sed ab auctore prioris capitis, a Palaemone profecta esse. Sed accedunt alia: p. 42, 22, ubi Palaemonis doctrinam proferri paulo post noscitabimus, auctor nostri capitis ad 'neutralia semper pluralia' p. 33, 25 respicit dicens: 'dierum sacrorum et sollemnium appellationes, quas iam suo loco inter neutralia semper pluralia inseruimus' et eosdem dies sollemnes, quas p. 33 in exemplum uocat. 'Carmentalia' autem 'matri Euandri sacrificia instituta', quae p. 33,27 appellantur, eadem occurrunt apud excerptorem in particula tertiae declinationis p. 544, 29, quam Charisius in priore Palaemonis capite praetermisit. Dicendi deinde genus id est, quod supra cognouimus; ordo rerum talis qualis in initio capitis indicatus est. Accedit quod grauissimum est, quod easdem res eodem ordine excerptor decantat et quod quaedam iam in priore capite eisdem uerbis tacta sunt. Quare quin hoc caput Palaemonis sit, nulla interponitur dubitatio. Adde quod in praecedenti doctrina et Charisius et excerptor Palaemonis artem retinuit.

'Monoptota' capitis XII, p. 35, 18—37, 7 iam Schottmueller 'uelut' coniunctionis usu nisus Palaemoni tribuit, nisi quod ea, quae p. 35, 21—26 leguntur, propter 'utputa' coniunctionem et quoniam apud Phocam, qui reliquam capitis doctrinam non recepisset, exstarent ex altero fonte hausta esse censuit. Sed etiam eam, quam uir doctus excepit particulam Palaemonis esse excerptor. p. 551, 10 comprobat. Mirum enim esset, si excerptor, qui eandem doctrinam eodem ordine tradit, ipso illo loco eundem alterum grammaticum inspexisse uideretur. Palaemonem uero non ubiuis 'uelut' coniunctione usum esse supra satis superque ostendimus. Iam ea causa, qua apud Phocam reliqua doctrina non inueniatur, nulla fere est. Cur enim Phocam omnem doctrinam, quam Palaemon praebuerit, recepisse censeamus? Ceterum, quod iam supra p. 27 addidi, Palaemon p. 189, 6 hoc caput ut suum denotat.

Caput XIII, quod p. 37, 8—18 'De nominibus, quae hypocorismata non recipiunt' refert, cum praecedentis capitis

doctrina apte cohaeret. Vel inde et quoniam excerptor p. 551, 32—38 easdem regulas eodem ordine occupauit, Charisium non in alium ac Palaemonis librum inspexisse concludas. Accedit, quod de huius capitis doctrina accuratius ac plenius eisdemque fere uerbis p. 155, 10—21 in Palaemonis commentario, quem deinceps dissoluero, disputatum est.

Caput XIV p. 38, 1—50, 6, cui 'De nominatiuis ad regulam redactis' titulus est, ex duobus grammaticis, quorum alter Palaemon esset, coactum esse Schottmueller p. 19 iudicauit eique certas quasdam particulas propter 'uelut' coniunctionem tribuit. Cui opinioni statim id obiecerim nonnulla commentarii praecepta arte conexa particulis illis, quas dixit Schottmueller, excisis plane diripi ac dilacerari uerique similitudini prorsus repugnare, quod statuis, praecepta illa tam apte ex duobus grammaticis contexta uideri a Charisio. Miror autem, quod uir doctus in hoc non offendit, quod nonnullae commentarii regulae, si non eodem conexu tamen eisdem exemplis ac fere uerbis in superioribus capitibus prolatae sunt et quod auctor ad ea, quae supra tractauerit, aperte nos remittit. Quam in rem conferas uelim: p. 38, 1—8 : 28, 12—15; 38, 12—17 : 25, 15—25; 38, 18—21 : 26, 11—24; 38, 22—39, 5 : 29, 25—27: 40, 13—16 : 29, 2—7; 41, 1—15 : 19, 15—20, 17; 40, 16—23 : 23, 1—7; 42, 22—28 : 33, 25—34, 10; 44, 21—30 : 21, 8—17; 46, 1—10 : 24, 1—18; 48, 1—16 : 28, 17—21; item: p. 39, 1 : 35, 21; 42, 22 : 33, 25. At hae particulae partim earum sunt, quas Schottmueller supra Palaemoni adscripsit, in nostro uero capite ab eo abiudicauit. Quod uiro docto accidisse uidetur eo, quod in superioribus capitibus 'uelut' coniunctio exemplis praeposita, in hoc commentario omissa est. At Palaemonem non semper 'uelut' coniunctione usum esse satis persuasum habemus. Hoc autem caput a Palaemone ortum esse et e disserendi ratione et e locis illis, quos contuli, intellegimus. Sed Charisius neque ordinem a Palaemone institutum retinuit neque plenam omnino doctrinam recepit. Nam quin hoc quoque caput sicut X litterarum et singularum declinationum ordine digestum fuerit, dubitari omnino non potest et ex excerptis p. 537, 15 sqq. id confirmatur. Charisius autem paucas nomi-

num terminationes descripsit. Praeterea p. 47, 4 doctrina corrupta est: 'Item illa per i litteram datiuum et ablatiuum habent, quae sunt hoc eodem libro supra excepta, quae incusatiuum per im faciunt . . .' Nam 'datiuum' subditicium esse nemo non sentit; re uera excerptor p. 545, 22 'datiuum' non praebet: 'Item illa per i litteram ablatiuum habent, quae accusatiuum per im . . ., quae hoc libro excepimus.' p. 43, 6 deinde corruptela inuenitur eiusmodi: 'Omnia nomina in is litteris terminata, quae datiuo i exierint, necesse est genetiuo et accusatiuo ante ultimam i recipiant, ut agrestis agrestium...' 'Datiuum' pro ablatiuo positum esse cum e rerum conexu tum ex excerptis p. 547, 7 cognoscimus, ubi haec exstant: 'Omnia nomina, quae singulari ablatiuo in i litteram cadunt, haec addita um syllaba faciunt genetiuum pluralem, uelut ab hoc omni, horum omnium.' Quod uterque grammaticus diuersa exempla exhibuit, eum non offendet, qui complura ubiuis exempla a Palaemone adlata esse animaduerterit. Sed Charisius doctrinam, cum quae sequuntur, oppresserit hoc loco deprauauit. Pergit enim excerptor docere: 'Ablatiuo autem singulari ea demum in i litteram cadunt, quae communia sunt trium generum, ut felix felici felicium . . . Etiam alia trium generum nomina sunt . . . In his tamen obseruabimus, appellationes dumtaxat si fuerint, tunc ablatiuum in i litteram facere. Nam si propria nomina fuerint, tunc ablatiuum in e litteram habere debent, ut Felice . . .' Etenim obseruationem istam: 'Ablatiuo autem . . . felicium . . .' Charisius plane neglexit; ea autem: 'Etiam alia . . .' in alium locum transtulit; inueniuntur enim p. 47, 3. Quos locos exhibui, quoniam maxime notabiles sunt. Unde conligere licet, qua ratione Charisius e fonte suo hauserit. Nec tamen statim corruptelas istas a Charisio admissas esse statueris. Fieri enim potuit, ut iam fons illis uerbis ab aliquo auctus esset. Charisius uero, quod grammatici cum eo conlati ostendunt, suae doctrinae nihil omnino addidit. Nihil curauit sane nonnulla, alia aliis locis conlocauit.

Vel ex his, quae percensui capitibus planum fit, quantopere Remmiana doctrina circumcidendo ac perturbando deprauata sit a Charisio. Quid mirum igitur, quod non eam aucto-

ritatem speciemque prae se fert, quae in principem sub Claudio grammaticum conueniat nonnumquamque etiam inepta uideatur esse. Nam omnis liber quamuis egregius optimeque digestus si ordinem aliis translatis aliis omissis dissoluis, corrumpitur grauitateque, quae in eo fuerit, priuatur. Quod quo longius prouecti erimus, eo magis apparebit non minimam partem ex eo, quod sequitur capite XV. Sed priusquam hoc caput adgrediamur, circumspiciamus, quid e superioribus XIV capitibus de dicendi docendique Palaemonis ratione cognouerimus. Quae ratio quamuis uniuersa eadem sit, quam supra p. 21—28 docui, tamen quoniam alia aliis firmantur, grauissima non praetermittenda uidentur. Ea autem, quae nunc de Charisio delibaturus sum, similia apud excerptorem deprehenduntur; quorum pauca exempli gratia addam. Nam et excerptor ut Charisius ea, quae recepit e Palaemonis libro, praecipua fide recepit. Itaque quia alter alterum non pressit, uel a primo statuendum est a neutro ea, quae proponam orta esse.

A ueniendi uerbo illo dictiones fictae sunt hae: ‘in unitatem uenire’ p. 13, 28 et ‘uenire cum’ p. 13, 29 pro: coniungi cum; ‘uenire ex’ p. 22, 12 pro: transire; ‘ex compositione uenire’ p. 24, 13 : 540, 10 pro: componi; ‘uenire in’ p. 25, 29, 33; 26, 3 pro: finiri: ‘ex communione uenire’ p. 27, 13 : 541, 19 pro: generis communis esse; item: ‘per communionem uenire’ p. 28, 27 : 541, 31; ‘in extremitatem uenire’ p. 25, 32 pro: finiri; his additur ‘extremitas’ ipsa p. 19, 8; 24, 4; 25, 24, quae p. 42, 35 : 544, 34 etiam ‘elatio’ dicta est. — Efferendi uerbum significatione, quam supra p. 21 monui, duodetriciens occurrit: p. 19, 14, 17; 20, 14; 21, 1, 4, 9, 17; 22, 18; 23, 31; 24, 4, 5, 7, 23, 26; 25, 1, 16, 18; 27, 2, 16; 29, 2; 35, 1; 38, 3; 41, 1, 16; 42, 1; 43, 16; 44, 27; 48, 8. Accusatiuus casus, quem plerumque uocat grammaticus, ‘incusatiuus’ appellatus est p. 17, 7; 20, 1, 15 : 538, 2, 16; 29, 17 : 542, 24; 47, 15.[1]) — Nominum declinationes, sicut uerborum coniugationes, cum ‘ordines’ p. 18, 7, 8; 21, 3; 23, 3, 6;

---

[1]) Casuum nomina a Graecis deprompta sunt grammaticis cf. Dionysius p. 36, 5: *Πτώσεις ὀνομάτων εἰσὶ πέντε· ὀρθή, γενική, δοτική, αἰτιατική, κλητική.*

25,6; 28,7,17; 42,31,37; 44,33; 45,2; 47,13 tum 'declinationes' dixit. — De docendi ratione primum memoranda est Graecorum lingua, quae ubique composita est cum Latina; a quorum dicendi usu deriuata est ratio Latine loquendi p. 19; 24; 41; 46. Censet autem grammaticus Graeca nomina, si naturam Graecam obtineant, non nisi Graeca analogia declinari debere, sin autem in Latina reformentur, tum etiam ad Latinam declinationem reuocanda esse. Graeca nomina etiam 'peregrina' appellat p. 25, 8; siqua praeterea nomina sunt parum Romana, 'barbara' p. 25, 19; 30, 12; 38, 14.

Scriptores paucos testes excitauit. Nam et in hisce capitibus nisi de ratione dicendi non expositum est, id quod ipse fere fatetur p. 18, 18: 'Ordines nominum, qui quidem ratione et obseruatione inueniuntur...' et p. 35, 16: 'sed auctores non usque quaque haec obseruauerunt . . .' Quare consuetudinem dicendi siue auctoritatem, qualis apud scriptores inueniatur, uelut in transitu stringit aut si ueteres a ratione prorsus abhorruerint (p. 22, 17; 41, 10) aut si quae confirmatione indigere uideantur (p. 22, 1; 33, 10). E scriptoribus autem, quia hic de singulis nominibus quaestio est, plurimi duxit Vergilium, id quod undique patet, deinde Ciceronem dicens p. 33, 10: 'Sed Cicero dixit 'fascem unum si nanctus esses' per quod intellegimus masculino genere dici et non esse tantum plurale'. Vergilium eo tempore apud grammaticos maxima auctoritate omnino fuisse etiam inde perspicitur, quod ait p. 44, 1: 'Sed de insomnio quaesitum est, quoniam apud Vergilium non geminatur'. Qui praeterea occurrunt scriptores, ei ad statuendum ueterum dicendi usum adlati sunt: Ennius p. 19, 2, Sallustius p. 22, 18; 36, 2; 42, 12, Terentius p. 22, 19; 37, 17, Plautus p. 32, 14; 37, 18, Varro p. 37, 15. Quorum uerba laudat librorum titulo aut addito aut omisso.

At non nisi consensu scriptorum rationem infringi posse censet; ubi unus auctor solus dicendi normam neglexit, refutandum putauit, etiamsi Vergilius sit. p. 34, 29 enim 'uinum' semper singulare esse definiens addit: 'quamuis Vergilius uina dixerit'; quem Vergilii dicendi usum grammaticus improbat, quod 'uina' pluraliter ad quantitatem relata sint, non ad qua-

litatem; idem p. 34, 25: 'fabam' semper singulare esse; Vergilium sane 'uere fabis satio' dixisse; quam 'declinationem inusitatam' respuit.

Rationem dicendi acriter exsequitur, nonnumquam etiam haud scio an nimio plus. Sic p. 45, 19 de 'domus' uocabulo disserens: omnia nomina, ait, genetiuo plurali in 'uum' non in 'orum' cadentia accusatiuo plurali in 'us' terminari debere; ergo potius 'domus' quam 'domos' dicendum esse; 'domos' autem formam non nisi consuetudine, qua a 'domorum' non a 'domuum' genetiuo deriuaretur, admittendam esse. Euenit etiam, ut alia aliis repugnare uideantur ut p. 47, 25—31; cuius rei causa haec est, quod hic ratio illic consuetudo dicendi pressa est.

Grammaticorum solus Nisus p. 28, 7 laudatus est; cuius sententiae accedit p. 35, 2. Palaemon enim in his quoque capitibus sicut in particulis illis, quas Charisius ei tribuit, grammaticorum sententias uniuerse tangere maluit. Unde dictiones exsistunt eius modi: 'haec littera a quibusdam negatur' p. 8, 14; 'superuacuae quibusdam uidentur' 8, 16; 'aliis placuit ita definire' 12, 4; 14, 10; 'non ut putant plurimi' 15, 24; 'uel ut quibusdam placet' 17, 10; 18, 9; 'dicunt quidam' 18, 17 : 538, 22; 'longe solent errare, qui' 21, 18 : 539, 5; 'contendunt tamen nonnulli' 22, 4; 'sed quidam dicunt' 23, 5 : 539, 22; 'alii dicunt' 23, 6 : 539, 23; 'multi uoluerunt' 25, 17 : 540, 32; 'dixerunt plerique, qui errant' 25, 31; 'sed quidam dant' 32, 25 : 548, 31; 'alii posuere' 36, 7 : 551, 20; 'quibusdam placuit dici' 26, 17 : 541, 4; 'sed sunt qui distingunt ... ignorantes' 42, 33 : 544, 32; 'quamquam sane multi contendunt' 48, 21; aliae perinde.

His statim adde dictiones admonendi gratia positas: 'etiam illud magna cura uidendum est' p. 16, 5; 'inuenitur tamen apud Vergilium' 16, 9; 'illud memineris' 23, 17 : 539, 31; 'nam de uocatiuo nihil dicendum est, cum sciamus' 23, 22 : 539, 35; 'non enim dicitur' 24, 8; 'scito autem' 24, 26 : 540, 20; 'de quibus dubitatur' 25, 9; 'quaeritur' 25, 21; 'quaestionem habere' 25, 30; 'praecipue autem quaeritur' 26, 15; 'dicimus enim' 27, 6 : 541, 14; 33, 5; 41, 21; 42, 31; 'apud ue-

teres autem inuenimus' 28, 4 : 541, 30: 'dum tamen sciamus' 31, 12 : 547, 19; 'sed et legimus' 32, 23; 'sed inuenimus' 32, 26 : 548, 33; 'sed et dicimus' 34, 1 : 550, 7; 'id quoque obseruabimus ut' 35, 23 : 551, 12; 'ambigitur de' 40, 10; 'obseruabimus autem' 42, 18; 41, 3; 44, 9; 47, 6 : 545, 15; 'quaesitum est' 44, 1; 'sed euenit ut' 48, 7 : 547, 37; ceteras.

Libentissime denique laudat grammaticus, quae exposuerit uel quae expositurus sit cf: p. 11, 4 : 8, 20; 12, 22 : 16, 6; 13, 24 : 12, 12; 13, 28 : 13, 20 : 13, 22; 15, 4 : 14, 26; 15, 24 : 15, 15; 20, 9 : 18, 12; 20, 13 : 20, 8; 20, 17 : 20, 8; 21, 1 : 18, 15; 24, 11 : 22, 10; 25, 7 : 25, 1—3; 25, 29 : 25, 26; 27, 9 : 27, 4; 28, 16; 28, 20; 36, 1 : 42, 3; 39, 1 : 35, 20; 42, 22 : 33, 25; 44, 13 : 44, 10; 45, 5; 47, 22 : 42, 18; 49, 1 : 47, 24—28; 49, 13. Quos locos etiam excerptor plerumque descripsit cf. 20, 9 : 538, 10; 20, 13 : 538, 14; 20, 17 : 538, 18; 21, 1 : 538, 19; 31, 28 : 548, 1; 47, 15 : 545, 24; 48, 18 : 546, 7; 49, 1 : 546, 11; 49, 12 : 546, 16. Verum inde, quod Charisius et excerptor, qui se mutuo non presserunt, eosdem locos ut reliqua, quae modo proposui, seruauerunt, id ipsum comprobatur, quod supra p. 27 statui, non a Charisio sed a libri, quem compilauerunt excerptores auctore, a Palaemone ea profecta esse. Sed de dicendi docendique Palaemonis ratione, unde argumenta sumerentur, satis dictum est; ueniamus nunc ad caput XV.

In hoc enim caput propter multam uariamque doctrinam post Keilium et Schottmuellerum alii uiri docti inquisiuerunt. Atque Keilius, praef. in Char. p. XLVII, hoc sibi persuasit complures C. Julii Romani obseruationes easque antiquioris doctrinae a Charisio in hoc caput translatas esse. Praeterea, quid ab ipso Romano, quid ab eisdem auctoribus, quibus Romanus usus esset, mutuatus esset Charisius, in medio reliquit.

Schottmueller deinde p. 20 sqq. praeter Romani copias praesertim Palaemonis librum a Charisio usurpatum esse censuit eique certas quasdam regulas 'uelut' coniunctione nisus tribuit; plurimas tamen res easque pretiosissimas et quae eruditionem praeberent paulo antiquiorem, e Romano nata esse. Id uel inde conici posse, quod haud pauca, quae a Romano

se recepisse Charisius non profiteretur, aut ad uerbum aut ad sententiam cum Romani doctrina capite XVII prolata congruerent. Quod ut demonstraret, singulos capitum XV et XVII titulos inter se consentientes composuit. Esse etiam, quae a Charisio ipso addita uiderentur.

Quorum uirorum sententias refellere conatus est Christius, Philol. 18, p. 122 sqq., qui eis locis, qui Romano ab ipso Charisio adsignarentur, exceptis totum caput ex uno eodemque fonte fluxisse existimauit. Cuius auctorem erui posse negat; alio loco p. 169 Flauium Caprum auctorem fuisse opinatus est. Ceterum ab ipso hoc auctore, quippe qui saepius cum Romano congrueret, eundem librum grammaticum, quem a Romano compilatum esse.

Atque Christii de Flauio Capro opinionem suo iure refutauit Morawski, Herm. uol. 11, p. 339 sqq. Qui conlato hoc capite cum excerptis et cum libri Charisii primi capite X ad eam peruenit sententiam, ut regulas generales a Palaemone deriuatas esse putaret, Romanum autem eis solis locis, quibus nomen eius praefixum esset, exscriptum esse. Quae praeterea cum Romani doctrina nomine eius non addito consentirent, ea a Charisio ex eodem libro, quo Romanns usus esset, sumpta esse. Cuius libri auctorem erui posse diffidit. Certas quasdam regulas etiam Palaemoni addixit.

Denique Neumann: 'De Plinii dubii sermonis libris', diss. Kil. 1881, XV et XVII libri primi capitibus inter se comparatis probare studuit Romani 'de analogia' librum copiosiorem, quam qui apud Charisium inueniretur, fuisse eumque prae ceteris Charisio materiam praebuisse.

Jam uides, quantopere uiri docti inter se discrepent et quantum intersit, ut hanc quaestionem soluamus. Equidem postquam hoc caput aliosque, ubi Romani doctrina profertur locos perlustraui, in ea opinione substiti, ut eodem fonte, Palaemonis libro, et Charisium et Romanum usos esse crederem; puto autem in hoc capite praeter Romani doctrinam Palaemonis librum solum adhibitum esse a Charisio, Romanum autem eis tantummodo locis, quibus nomen eius adlatum est, exscriptum esse; qua in re ad Christii et Morawskii sententiam

accessi. Tum demum perspicies conuenientiam istam, quae est inter Charisium et Romanum, quomodo factum sit — id quod uiros doctos maxime uexauit — ut modo Charisius in capite XV, modo Romanus in capite XVII de eadem re plura exhibuerint alioqui congruentia eiusdemque uocabuli saepenumero diuersa exempla attulerint; tum demum perspicies, cur Charisius in capite XVII multa praecepta eisdem fere uerbis eodemque ordine, quo in capite XV, iterum effuderit. Nam quamuis Charisii inscitia magna sit, tamen non tanta est, ut grammaticum, translata uel maxima Romani 'de analogia' capitis parte — id quod Schottmueller et Neumann uoluerunt — in caput XV, tum cum ad caput XVII peruenisset, paucis paginis interiectis, partem istam Romanianae doctrinae oblitum iterum transcripsisse putemus. Accedit, quod Charisius in hoc capite exceptis eis locis, quos Romano ipse adscripsit (p. 51, 5; 53, 12; 56, 4; 61, 5), nusquam Romani mentionem fecit, cum alias diligentia quadam ac studio nomen eius adiecerit ipsosque locos a Romano laudatos descripserit. Charisius enim Romani doctrinam prae ceteris praecipuam duxit propter breuitatem nimirum, id quod ubique animaduerti licet. Ac ne Vergilius quidem exceptis locis illis usquam Maronis cognomine appellatur, cum Romanus Vergilium ubiuis Maronem, ut Christius optime monuit, nominauerit. Atque in XVII Romani capite pagina 146, 5 excepta non nisi Maronem laudatum inuenies. — In XV igitur caput primum Palaemonis transtulit doctrinam uberiorem Charisius, deinde in capite XVII a Romano, qui eundem Palaemonianum librum iam compilauerat, praecepta mutuatus est. Quae quam uera sint, deinceps uiderimus.

Atque titulus capitis XV: 'De extremitatibus nominum et diuersis quaestionibus' a quonam profectus sit, ex ipsius auctoris ore audias uelim; p. 25, 10 enim haec inueniuntur capitis X uerba: 'legimus enim toreumatum et toreumatorum, item toreumatis et toreumatibus et sic similia, de quibus plenius sub titulo: 'De extremitatibus nominum' explanatum est'. Caput X autem Palaemonis esse supra p. 32—36 docuimus. Mirum sane est, quod huius ipsius capitis, quod tam difficile est explicatu, titulum indicare quasi uoluit Palaemon nec

auctoritatem suam Charisii inscitia neglegentiaque deleri passus est. Equidem cum id inuenissem, facere non potui, quin Palaemoni ex animi sententia gratularer. Atque profecto, quod professus est Palaemon: titulus ille in nostri capitis particula p. 52, 2—53, 26 multo uberior occurrit. Hoc unum uero argumentum sufficiet ad comprobandum huius capitis auctorem; sed adduntur alia.

Primum enim, quae in prooemio p. 50, 8—51, 20 indicata est docendi ratio per totum caput obseruata est. Profitetur enim grammaticus p. 51, 6: 'Consuetudo non arte analogiae sed uiribus par est, ideo solum recepta, quod multorum consensione conualuit, ita tamen ut illi ratio non accedat, sed indulgeat... Ex his ergo omnibus (sc. oratoribus siue scriptoribus) consuetudo non haec uulgaris nec sordida recipienda est, sed quae horridiorem rationem sono blandiore depellat. Interdum enim utilibus iucunda gratiora sunt; adsiduitas et consuetudo uerba quaedam uel nomina usque ad persuasionem proprietatis sufficient, si tamen eadem non aspere per analogiam enuntientur; alioquin rationem mallem quam adsiduitatem. Tractabimus ergo primum polusyllaba polusyllaborumque quaestiones, deinde uerba uerborumque quaestiones, nouissime catholica uaga, quae multarum controuersiarum ueterem caliginem dissipent.' — Promisit igitur auctor prooemii: primam se rationem substentaturum; ubi tamen ratio horridior esset consuetudine, consuetudo etiam uerba praeberet sono blandiora, tum necessitate quadam consuetudinem uel auctoritatem sese praepositurum. Neque tamen uerba ab auctoritate petita peruerse per analogiam enuntiari debere, quippe quae ratione dimissa ab auctoritate suffecta essent. Quibus statim addam 'uerba uerborumque quaestiones' in hoc caput recepta non esse a Charisio. Reliqua tamen, quamuis doctrina, rerum ordine perturbato, misere mutilata sit, per caput persequi licet. In priore enim capitis parte nomina polusyllaba i. e. regulae generales maxime perlustrantur, quibus quaestiones, quas dixit grammaticus, adnectuntur. In posteriore autem parte singulorum scriptorum sententiae ac dicendi usus, catholica uaga, quae uocata sunt, proferuntur. Itaque quoniam prooemium et

insequens doctrina inter se conueniunt, sequitur unum eundemque eorum auctorem esse.

Prooemium excipitur a dispositione (p. 51, 21—26) ita: 'Omnia igitur nomina, quibus uniuersa dictionis silua copiosa est, non plus quam per duodecim ultimas litteras finiuntur, quinque uocales a e i o u, sex semiuocales l m n r s x, unam mutam t. Sequemur ergo hae extremitates aut per omnia genera aut per ea, quae in quibusdam nominibus sunt, singulisque extremitatibus quaestiones suas et subieciemus et soluemus'. — Quae dispositio nonne Palaemonianam originem ordinemque, quem supra cognouimus, in fronte habet? Verba ista: 'Sequemur ergo has extremitates... singulisque extremitatibus quaestiones suas et subieciemus et soluemus' nonne titulo capitis aperte respondent? Praeterea respicias uelim, qualis sit conexus dispositionis cum fine prooemii; quo confirmantur ea, quae de pooemii auctore statui. — Iam de harum rerum auctore dubitatio nulla est. Itaque plura uerba facere mitto; quaeram potius, num illa rerum dispositio seruata sit a Charisio et quomodo ordo perturbatus sit. Quam in rem cum iam Morawskius l. l. inquisiuerit, tamen quoniam ad certum quendam finem eam non perduxit, denuo quaestio suscipienda est. Atque proficiscendum est a particula illa tertiae declinationis — nam reliquarum declinationum Palaemonis ordo iam in superioribus capitibus inplicatus est a Charisio — in capite X p. 25, 1—30, 22 exstante. Ubi Palaemon sic disposuit: uocalium a e i o u is quidem ordo obseruatus est; sed unicuique uocali singulae deinceps consonantes statim adiectae sunt in hunc modum:

a	al	an	ans	ar	ars	as	ax;
e	el	en	ens	er	ĕs	ēs	ex;
(i)	il	in	**is**	**ix**;			
o	ol	on	or	**os**	**ox**;		
(u)	ul	ur	us	uis	ut	ux.	

Talem huius quoque capitis ordinem fuisse inde noscimus, quod duo pristinae illius partitionis frustula: 'is ix' p. 88, 29—91, 30 et 'os ox' p. 91, 31—92, 21 seruata sunt a Charisio. Inspiciamus nunc, quomodo factum sit, ut Charisius partitio-

nem Palaemonis istam confuderit. Palaemon initio capitis hanc quidem dispositionem fecerat: ‘Omnia igitur nomina . . . per duodecim ultimas litteras finiuntur quinque uocales a e i o u, sex semiuocales l m n r s x, unam mutam t. Sequemur ergo has extremitates...’ Qua Palaemonis dispositione parum perspecta Charisius ni fallor iam fontis ordinem perturbatum esse opinatus est. Existimauit nimirum per uocales a e i o u et deinde per consonantes deinceps disponi debere. Itaque suo ipse Marte ordinem instituere conatus est interitum sibi ipse paraturus. Nam quamuis paene eo processit, ut per uocales, quas supra dixi, disponeret, tamen postquam ad consonantes peruenit, in tantas adductus est angustias, ut praetermissis plurimis ‘extremitatibus’ ordinem uel potius perturbationem ininstitueret hanc: as es m (um) us er ar or ur ux en ex **is ix os ox** ax. Quibus tamen ‘extremitatibus’ quid Charisius uoluerit apertum est. Voluit enim per singulas consonantes disponere. Quod ut perficeret tantum afuit, ut pristini ordinis pauca frustula is ix, os ox retineret. O praestantem doctrinam Palaemonianam et tanto homine dignam, quae alterius inscitia neglegentiaque deleri non potuerit! — Verumtamen ex paucis istis Charisii extremitatibus conlatis cum eis, quas Palaemon exhibuit, intellegitur, quantopere Charisius amputando ac detrahendo Palaemonis doctrinam imminuerit et inuicem ab extremitatibus a Palaemone prolatis grammatici nostri doctrinae summam computando efficere possumus. Nam ut non ‘uerba uerborumque quaestiones’, quas Charisius plane praetermisit, tangam: catholica uaga, quae dixit Palaemon, maxima ex parte neglecta sunt.

Porro grammaticus in hoc quoque capite diligentissime laudat doctrinam suam. Sic p. 67, 5; 85, 18; 87, 14; 74, 8; 88, 34, ut reliqua silentio praeteream, ter respicit ad capitis X, bis ad capitis XIV titulos. Aegerrime id quidem ferendum est, quod quae ‘plenior’ et ‘plenissime’ indicata est doctrina apud Charisium desideratur. Adde, quae p. 93, 3 exstant: ‘Multa sane inueniuntur, quae uaria ratione deficiant, quae suo quoque titulo praedicta sunt’. Qui quidem ‘tituli’ Charisii transcribendi neglegentia tenebris circumfusi sunt. Cuius-

nam haec particula esset Morawskius l. l. haesitauit; at Palaemoni eam deberi et ex loco illo laudato et ex eo apparet, quod p. 93, 11 Vergilii uerba eodem contextu, quo p. 34, 25 excitantur: 'Sane', inquit grammaticus, 'Vergilius dicit 'uere fabis satio'; sed nec ipsum admittitur, quia nec ferrum nec aurum nec oleum, quamuis diuersi generis, pluraliter quisquam ausus est pronuntiare'. — Quibus tamen locis laudatis, cum in superioribus capitibus reperiantur, hoc comprobatur primum Palaemonis esse, quae in hoc capite exstat doctrinam, deinde cum nostri capitis praecepta Palaemonis sint, superiora capita eodem iure Palaemoni tribui. — Sed quid plura? Longam enumerare possum argumentorum seriem, e quibus pateat Palaemonem huius capitis auctorem esse. At quorsum id? Nonne argumentationis satis est, quod artissimo uinculo omnia constricta sunt? Mehercule, nisi tam praestantem euidentemque secutus esset Palaemon docendi rationem, doctrina eius erui omnino non posset. Est uero magnorum uirorum, quod quid prae se ferunt, e quo uel primo obtutu eos cognoscas. Porro quod supra de dicendi docendique Palaemonis ratione exposui, e quauis pagina excitabis. Libero enim ac forti animo grammaticus profitetur doctrinam respuens, quiduis repugnat aut rationi aut consuetudini. Ratio autem, quod promisit in prooemio, sustentatur, dummodo ne consuetudini siue auctoritati scriptorum prorsus aduersetur. Unde nihil frequentius in hoc capite, quam quod in aliis nominibus ratio, in aliis consuetudo defenditur, prout haec illa maiorem potestatem habet. Palaemon enim mediocritatem istam seruat, quae sit inter nimium et parum et quae, ut ipsius uerbis utar, efficiat, ut horridior ratio auctoritate siue consensu multorum et inuicem uulgaris ac sordida consuetudo iusta et utili ratione depellatur. Quae ex hoc maxime capite elucent; namque in superioribus capitibus, quoad e rebus a Charisio receptis conligere licet, nihil fere nisi regulae generales pertractatae sunt; in hoc uero capite cum rationi tum consuetudini prouisum est. Palaemon autem id sibi proposuerat, ut primum rationem nominum examinaret, deinde auctoritate scriptorum consulta statueret, quid consuetudinis rationi praeferendum esset, quid non item; idque suo iure.

Nam qui consuetudinem siue ea, quae excepta sunt, comprehendere possis, nisi prius rationem uel regulas generales perceperis? An censebimus exemplis scriptorum solis, id quod Romanus consecutus est, artem grammaticam perfici? Palaemon uero cum rationi tum auctoritati scriptorum operam nauauit.

Adiciamus nunc, quae maxime in hoc capite memoratu digna uidentur. Atque C. Julii Romani uerba, ut inde ordiar, hisce locis aspersa sunt a Charisio, id quod in oculos incurrit uel obiter legenti: p. 51,5; 53,12—18; 56,4—7; 61,5—14; quae ab ipso Charisio Romano adsignata sunt. Qui loci priorem capitis partem, in qua nominum in a et e terminatorum regulae prolatae sunt, obtinent. Namque initio capitis Charisius, cum in regulis substantiuorum in a e i o u exeuntium transcribendis, ut supra docui, aegre se sustentaret, quoniam filiolo artem, quam posset perfectissimam suo quidem more praebere uoluit, Romani breuiore commentario adductus etiam Romanianae doctrinae rationem habuit; postea uero multarum rerum affluentia turbatus nec Romanum respexit nec Palaemonis librum, primarium fontem, integrum exhausit.

Scriptorum in hoc capite ingens numerus prostat. Etenim Palaemon cum hic ‘nomina nominumque quaestiones et catholica uaga, quae multarum controuersiarum ueterem caliginem dissiparent’ percensere instituisset, etiam auctores quam maxime respiceret oportuit. Sunt autem scriptores, quorum uerba in exemplum uocata sunt, secundum numerum exhibitorum locorum hi: Vergilius, Varro Reatinus, Plautus, Terentius, Lucilius, Cicero, Cato Censorius, Sallustius, Ennius, Horatius, Ouidius, Pacuuius, Cn. Gellius (s. VII a. u. c.), Lucretius, Aemilius Macer, Laberius, C. Licinius Caluus, C. Valgius Rufus, Cornelius Seuerus, C. Gracchus, Accius, Pomponius, C. Asinius Pollio, Afranius, Propertius, Persius, Caesar, C. Heluius Cinna, Titus Liuius, Tibullus, Papirius Fabianus, Coelius Antipater, Titinius, Q. Mucius Scaeuola, L. Cornelius Sisenna, Rabirius (s. VIII a. u. c.), Caecilius, Cornelius Epicadus, Catullus, Domitius Marsus, C. Melissus, Nepos, Marcus[1]), Varro Atacinus,

[1]) Quo Marci nomen tendat, incertum est; Lindemannus Ciceronem excitatum esse opinatus est.

Pompeius Trogus, Augustus, Maecenas, Cassius Seuerus, M. Valerius Messala. Huc adde, quod quoniam minima nominum doctrinae pars recepta est a Charisio, uerba autem uerborumque quaestiones plane praetermissa sunt, scriptorum exempla plurima obliuioni data sunt. Atque ut statim numerum locorum exhibitorum computando efficere possis, adiciam Vergilium sexagiens fere Coelium bis appellatum esse. Quorum scriptorum uerba arte Remmianae doctrinae inserta sunt.[1])

Virorum, qui arti grammaticae operam dederunt, mentio facta est horum: Aurelii Opilii, M. Terentii Varronis, M. Verrii Flacci, C. Plinii Secundi.[2]) Ergo nemo laudatus est scriptor, qui Palaemonis aetatem transierit. Quamquam apud Romanum in capite XVII posterioris aetatis auctores occurrunt plurimi. Hoc loco pauca de M. Terentio Varrone promere iuuat. Suetonius enim (de gram. 23) tradit: 'Arrogantia fuit (Palaemon) tanta, ut M. Varronem porcum appellaret; secum et natas et morituras litteras iactaret; nomen suum in bucolicis (ecl. III u. 50) non temere positum, sed praesagiente Vergilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palaemonem iudicem'. E quibus Suetonii uerbis ni fallor coniecimus Palaemonianam doctrinam prorsus alienam fuisse a Varrone; nam proditum non est memoriae, qua ratione Palaemonis doctrina a Varroniana distulerit. At Varro artem grammaticam plurimis et utilissimis et praestantissimis exornauerat praeceptis, quae refellere aut neglegere Palaemon, nisi omnium aequalium animos uiolare atque auertere uoluisset, omnino non potuit; neque umquam grammaticus noster, si Varronianam doctrinam alias probatam refutasset, assensum ac comprobationem aequalium illam adsecutus esset. Fuerunt autem Varronis etiam permulta,

---

[1]) Martialis epigramma (l. I, 65) p. 95, 29 exstans quamuis a Palaemone exhiberi potuerit, tamen quod a doctrina dissidet, grammatico non imputauerim.

[2]) p. 94, 1 Velii Longi nomen absurde aspersum est: 'De qua quaestione a Velio Longo libellus scriptus est.' Palaemon enim numquam laudat alios grammaticos nisi disputans de eorum praeceptis ac disceptans, quid a quo recte traditum sit, quid non item. Fortasse Charisius Velii nomen in margine a curioso quodam appositum inde in contextum recepit.

quae insequentis temporis grammaticis prorsus improbabantur. Quo in genere minime hoc placuit, quod cum antiquitatis nimius esset amator, obsoletas atque inusitatas uerborum formas obtinuit; quod ut artem grammaticam fulciret, non nisi antiquitatis scriptorum auctoritatem aduocauit. Accedit, quod studio quodam Graeca analogia rationem sustentauit uerborum Latinorum et quod horrida quadam etymologia uerborum origines enucleare conatus est. Atque haec fere fuerunt, quae cum reliqui primi p. Chr. saeculi grammatici tum Palaemon respuerunt. Quo fieri potuit, ut Palaemon Varronem grauiter increparet. Neque uero inde statim conicere licet Palaemonis doctrinam prorsus abhorruisse a Varroniana, id quod Schottmueller l. l. p. 12 uoluit. Iam in hoc capite Palaemon et Varroni et ceteris grammaticis, ut aequum est, modo adsentitur modo non. Caue enim putes frustula illa Varronianae doctrinae aliunde adsumpta esse a Charisio; quod ne credamus prohibemur eo, quod artissime Remmianis regulis intexta sunt. Sed reuertamur ad ea, quae instituimus. Restat enim, ut paucis referam de eis, quae dubia uideri possint. Atque p. 25, 20 Palaemon exposuerat nullum Latinum nomen masculinum in ‘al’ extremitatem uenire posse; itaque neutraliter ‘sale’ ut ‘mare’ et ‘lacte’ proferri debere; p. 106, 12 autem docet grammaticus: ‘sal masculini generis est nec habet pluralem’. Quid, haec uerba nonne istis plane repugnant? Sane; sed p. 25 Palaemon rationem nominum exsecutus est; p. 106 autem consuetudinem; re uera ratione sustentata nullum Latinum nomen masculinum in ‘al’ terminari potest. Item p. 35, 1 Palaemon disseruit: uinum oleum alia tum demum pluraliter enuntiari posse, cum ad genus non ad quantitatem referrentur; p. 93, 5 deinde exhibet grammaticus: ‘nam quod auctores dixerint frumenta hordea mella, non nos moueat’. Cur non moueat? Ea de causa, quod auctores mella aliaque ad quantitatem rettulerunt. Quae non offendunt. Porro p. 60, 11 pauca uerba falso Terentii ‘Adelphis’ adiudicantur, quae p. 73, 15 recte ‘Phormioni’ adscripta sunt. Unde Morawskius l. l. diuersos exscriptos esse fontes a Charisio coniecit; sed parum mihi persuasit. Quid, uerba Terentii ista nonne ab alio quo diserte in Adelphos

transferri potuerunt, quod Charisius deinde perperam transcripsit? Utraque uero particula a Palaemone profecta est; nam ut hoc adferam, altera alteram respicit. Item p. 60 grammaticus: 'plus', ait, in genetiuo plurali (ratione) 'plurum' facere debere, non 'plurium'; p. 73, 15 eadem quidem fere proferuntur, adicitur tamen: 'sed consuetudo plurium cum i dicit'. Quae secundum docendi Palaemonis rationem non possunt dubia uideri. Sunt et alia, quae cum in ueterum grammaticorum docendi genere, tum in Charisii transcribendi neglegentia posita sunt; quae singula ut examinentur, hic quidem locus non est. Satis enim mihi multa uerba fecisse uideor; nec tam copiosus in dicendo fuissem, nisi de hoc ipso capite multae controuersiae inter uiros doctos exstitissent.

Qui sequuntur 'Gradus comparationis siue conlationis' capitis XVI p. 112, 13—116, 28, inde a p. 114, 30—116, 28 iam a Schottmuellero p. 20 Palaemoni tributi sunt; cui adsentior. At quae praecedunt, a quonam ea orta sunt? Quorum auctorem, praeterquam quod pauca Romani frustula interposita essent, incertum esse Schottmueller existimauit. Sed conspirant ea, quae ab initio capitis usque ad p. 114, 30 proferuntur, mirum in modum cum eis, quae sequuntur. Eadem enim appellatiua in utraque particula in exemplum uocantur; porro dictiones illae, quas supra explicaui: 'elatio', 'in conlationem uenire', 'in comparationem uenire', 'obseruabimus tamen', 'dicimus enim', 'inuenimus tamen apud auctores', aliae etiam in hac particula frequentantur. Totum denique disserendi genus Palaemonis est. Accedit, quod p. 113, 20 grammaticus ad superiorem doctrinam recurrit: 'Obseruabimus tamen', inquit, 'quod ipsum iam adnotauimus, nomina tantum in comparationibus uersari, non etiam participia'. Quae doctrina p. 48, 1—16 exstat. Atque excerptor, qui p. 555, 30—557, 2 eadem praecepta tradit, locum illum laudatum uerbo tenus seruauit. Ex excerptore autem, qui Palaemonis librum solum descripsit, conligere possumus, quid Romanianae doctrinae Charisius isti particulae interposuerit; et sunt haec: p. 114, 1—6; 114, 25—28. Itaque quin totum caput XVI exceptis Romani frustulis Palaemonis sit, ad incertum reuocari non potest. Palaemon igitur

in hoc quoque capite, ut solitus est, aliorum sententias grammaticorum respexit.[1])

De capite XVII p. 116,29—147,16, quod ab ipso Charisio: 'De analogia, ut ait Romanus' Romano adscriptum est, iam supra p. 43 sqq. exposui. Ubi Romanum praeter Plinium aliosque etiam Palaemonis libro usum esse statui; addidi etiam, quid uiris doctis uisum esset. Jam tempus est sententiam meam supra prolatam argumentis fulcire. Age, utriusque grammatici doctrina perpensa uideamus, uter palmam ferat utrum Romanus hoc commentario an Palaemon capitis XV. Grammaticos autem ipsos concertantes introducam. Palaemon p. 88, 29 sq. nominum in is syllabam cadentium rationem explanans: 'Is terminata nomina', inquit, 'masculina et feminina inueniuntur. Quae omnia nominatiuo genetiuum similem habent, uelut hic suauis huius suauis, facilis facilis, agilis agilis et cetera similia. Excipiuntur autem quaedam, quae in genetiuo crescunt, licet per is efferantur, uelut cuspis cuspidis, cinis cineris, lapis lapidis, puluis pulueris et cetera similia, de quibus plenius dictum est in superioribus sub titulo De nominatiuis. Et quidem masculina, hic finis huius finis; feminina, haec puppis huius puppis; communia utriusque generis, hic et haec suauis. Horum ablatiuus dupliciter effertur et per e et per i, ut ab hac puppe et puppi; sed communium tantum per i, ut ab hoc et ab hac suaui. Item accusatiuus duplex, ut hanc puppem et puppim, turrem turrim. Utique eius modi nominum etiam pluralis genetiuus ante um syllabam i habebit, harum turrium puppium. Excipiuntur haec tria, quae omnino i litteram neque in genetiuo plurali admittunt neque ablatiuo nec accusatiuo singulari; sunt autem haec, panis canis iuuenis. Excipiuntur et haec, quae genetiuo crescunt, cinis lapis puluis semis sanguis uomis cuspis cucumis pollis lis. Faciunt enim genetiuo cineris lapidis pulueris semissis sanguinis uomeris

---

[1]) p. 113, 30—31 iterum Velii Longi uerba inepte interiecta sunt fortasse ab eodem, qui in capite XV illius nomen attulit. Jam fontem, e quo Charisius hausit, Velii mentione auctum fuisse inde apparet, quod excerptor p. 556, 22—24 ipsam recepit.

cuspidis cucumeris pollinis litis. Graeca uero dupliciter declinantur. Aut enim crescunt genetiuo, ut Thetis Thetidis, Paris Paridis, aut eundem seruant genetiuum quem et nominatiuum, Zeuxis huius Zeuxis, Alexis huius Alexis. Vis uero tantum singulariter declinatur, uelut haec uis huius uis huic ui hanc uim o uis ab hac ui; item pluraliter tantum hae uires uirium uiribus uires o uires a uiribus. — Quaecumque nomina is litteris terminata communia masculini et feminini generis sunt faciuntque ex se neutra in e terminata, ut hic et haec nobilis et hoc nobile, ablatiuum habebunt in i, genetiuo plurali i ante um recipient, accusatiuo autem i ante s, ut ab hoc et ab hac nobili simili, horum et harum nobilium similium, hos et has nobilis similis. — Puluis masculini generis est, quamuis Propertius dixerit: ʻqui nunc iacet horrida puluisʼ. — Sarapis Sarapidis uolunt grammatici genetiuo casu dici, non Sarapis, quia omnia nomina Graecae figurae is terminata in genetiuo syllaba crescere debent, ut Iris Iridis, Isis Isidis, Hymnis Hymnidis, Paris Paridis. Sed cum et Latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, praesertim cum adsit auctoritas. Nam et Varro de uita sua non tantum huius Sarapis declinauit sed et Iris, quod paulo est durius. Sed et Vergilius Irim dicit et Parim et Tigrim. — Breuis dies dicitur, non pusillus. Breuis enim in natura, pusillus in corpore. — Gliris nominatiuus est hic glis, non glir, ut quidam uolunt. Nam et Varro in Admirandis ait: ʻin silua mea glis nullusʼ et Cato in Originibus * — Panis masculino genere dicitur. Nam etsi neutro genere Plautus dixit: ʻpane et assa bubulaʼ tamen uitiose. Panis autem genetiuum pluralem Caesar de analogia II panium dixit, sed Verrius panum sine i. Ego autem neutrum probo nec puto panem plurali numero dici posse, quoniam unica res est et ad pondus redigitur, nec quisquam ueterum nisi singulariter dixit. Deminutione autem panis pastillus dicitur, ut hodieque in Italia rusticos dicere animaduertimusʼ. — Quam doctrinam a Palaemone uno quasi tenore prolatam apud Romanum capitis XVII diuersis locis scruteris necesse est. Primum enim frustulum inuenies p. 120, 24: ʻAui ut puppi, quoniam genetiuus similis est nominatiuoʼ;

— secundum p. 131, 16: 'Glis Varro in Admirandis, 'in silua mea est glis nullus'. Sed et Cato in Originibus ita est locutus. Quidam enim hic glir huius gliris putant dici'; — tertium p. 131, 30: 'Habilis ut agilis. Is enim syllaba finita nominatiuo singulari eundem debent habere genetiuum, ut nauis auris amnis; exceptis lapis cinis puluis cucumis cuspis'; — quartum p. 132, 27: 'Irim pro Iridem Maro Aeneidos VIIII: 'Irim de caelo misit Saturnia Juno', cum constet omnia Graecae figurae nominatiuo singulari is syllaba terminata genetiuo singulari syllaba crescere, licet Varro et Tullius et Cincius, ut de consortio casuum diximus, huius Sarapis et huius Iris dixerint'; — quintum p. 141, 20: 'Panium Caesar de analogia libro II dici debere ait. Sed Verrius contra. Nam i detracta panum ait dici debere. Neutrum autem puto posse dici, quia de his est nominibus, quae, cum pondere numero mensura constent, semper sunt singularia'. — Uter integriorem doctrinam exhibuerit, apertum est. Nec discerpta tantummodo Palaemonis praecepta sunt, uerum etiam corrupta ac deprauata. Ea uero a Charisio in Romani commentarium litterarum ordine dispositum congesta esse a ueri similitudine prorsus abhorret. Hoc enim nihil aliud esset, quam statuere a Charisio Romani commentarium compositum esse, cum Charisius caput XVII Romano ipse addixerit. Atque quamuis Charisii inscitia magna sit, tamen eam tantam esse, ut doctrinam longe uberiorem in caput XV receptam iterum e Palaemonis libro in caput XVII transcripserit, quis est, qui credat. Itaque quin haec, quae in capite XVII inueniuntur Palaemonis praecepta a Romano excerpta sint, nihil dubii relinquitur. — Aliud promere liceat exemplum: p. 68, 33 haec Palaemonis leguntur: 'Item ex tertio ordine haec in quaestionem ueniunt, uelut quare nubes nubis et fides fidei; es litteris productis elata, siquidem i habuerint ante es syllabam, genetiuum faciunt per i, uelut acies aciei, dies diei, luxuries luxuriei, excepto hoc uno nomine quies, quod facit quietis. Quamquam requies ab eo compositum requiei faciat secundum rationem a nobis demonstratam, ut apud Vergilium in IV: 'requiem spatiumque furori'. Quod si esset genetiuus requietis, requietem faceret, non re-

quiem. Cicero autem aliter declinauit; huius pernicies'. — In eis, quae sequuntur, Palaemon, qua ratione Cicero ita declinauerit, exponit. Quorum Romanus p. 142,3 haec recepit: 'Quies quietis facit, cum es producta finita nomina genetiuum ei soleant terminare, ut dies acies luxuries; quod tamen nomen iuncta praepositione in regulam redit, ut Maro: 'requiem spatiumque furori'. Quamquam Cicero requietem dixisse memoretur'. — Jam cur Cicero 'requietem' dixerit, id quod Palaemon p. 69 subtili ratione exsequitur, Romanus praetermisit. — Quibus exemplis satis apparere putauerim Romanum Palaemonis doctrinam occupauisse. Ceterum eidem scriptores atque adeo libri exempli causa posita sunt a Romano, qui et a Palaemone. Sed quoniam Romanus illius doctrinam mutauit atque in breuius contraxit, uix diiudicaueris, ubi Palaemonis praecepta ab eo adhibita sint, nisi Charisius in capite XV eundem Palaemonem diligentius exscripsisset. Neque enim Romanus Palaemonis nomen umquam addidit ea forsitan de causa, quod Palaemonis ars, cum in frequentem scholarum usum uenisset, nomine eius dempto liber publicus ac communis factus erat. Praeter Palaemonis autem copias praecipue Plinium usurpauit Romanus; unde integras particulas nomine apposito recepit suam sententiam rarius adferens. Hic illic etiam incidit, ut Plinii doctrina cum Palaemone capitis XV conueniat. Neque tamen statuendum est, Palaemonem a Plinio pendere. Namque Palaemon, ubi Plinii doctrinam respexit, nomen eius attulit. Ceterum nisi in transcursu, ut ita dicam, Plinium non nominat disceptans quid ab eo recte explanatum sit, quid non. Quod Plinius et Palaemon nonnumquam inter se consentiunt, eius rei uariae redduntur causae. Nec hoc a ueri similitudine alienum est, quod aliquis statuat praecepta quaedam, quae eo tempore peruulgata fuerint, et a Plinio et a Palaemone absolute recepta esse. Verumtamen Plinii doctrinam a Palaemone facile secreueris. Plinius enim frigida quadam et prisca lingua utitur, qua praecepta nonnumquam disiuncte adserantur; contra Palaemonis oratio continua ac compta profluit ita, ut regulam regula excipiat. Qua in re unumquemque, qui et Plinii et Palaemonis doctrinam accuratius

examinauerit, aeque atque ego iudicaturum esse confidam. Nunc locos adferam, quibus Charisius in capite XV et Romanus capitis XVII, quoniam eundem fontem adierunt, de Palaemonis doctrina congruant. Ubi Plinius et Palaemon in docendo conspirent, praetermitto. Et sunt haec fere nomina terminata in litteras:

a	p. 51,26—58,25	: 143,19—29;
e	„ 58,26—62,27	: 117,18—23 : 146,31—36;
i	„ 62,28—63,7	:
	„ 107,31—32	: 143,30—31;
o	„ 63,8—65,28	: 117,24—29 : 118,3—12 : 119,9—120,3 : : 126,20 : 131,33—36 : 132,8—9 : 137,30 : 145,10—13;
as	„ 66,11—67,3	: 120,32 : 121,8—11;
es	„ 67,4—70,24	: 124,5—11 : 128,12—16 : 132,1—7; 10—14 : 140,19—141,5 : 142,3—7;
um	„ 70,25—74,4	: 141,6—7 : 146,3—11;
us	„ 74,5—82,12	: 135,10—12 : 140,11—13 : 146,12—14;
er	„ 82,13—85,16	: 121,12—13 : 121,21—122,5 : 124,22—27 : : 134,12—135,2 : 140,17—18;
ar	„ 85,17—22	: 145,27—28;
or	„ 85,23—86,14	: 117,8—10 : 119,1—2 : 121,6—7 : 131,28—29;
ur	„ 86,15—87,7	: 130,36—131,3;
en	„ 87,13—88,4	: 131,19—27;
ex	„ 88,5—28	: 120,14—15 : 143,16—18 : 144,3—8; 13—16;
is	„ 88,29—91,21	: 120,24—25 : 131,16—18; 30—32 : 132 27—31 : 141,20—23;

item: p. 55,3—8 : 138,20—139,3; p. 93,18—23 : 120,33—121,5; p. 93,24—26 : 143,32—33; p. 93,24—26 : 145,31—146,2; p. 95,22—96,6 : 128,20—129,2; p. 106,24—30 : 140,14; p. 107,31—32 : 143,30—31; p. 109,28—29 : 140,15—16; p. 110,1—2 : 142,3—7. —

Nec te moueat, quod aliud nonnumquam exemplum Romanus, aliud Charisius tradit; hic enim non plenam Palaemonis doctrinam descripsit, ille excerptor est.

Restat ut de eis, a quibus caput XVII incipit, paucis referam. Charisius enim initio capitis uberiorem de analogia secutus est fontem, unde ea, quae de natura atque ui analogiae satis subtiliter disputata sunt, recepit. Quem fontem, cum esset amplior et magis arduus, Charisius p. 117, 5 reliquit hisce uerbis: 'Cuius rei (analogiae) rectam rationem interim differamus contenti paucis, quae exempli gratia Gaius Julius Romanus sub eodem titulo exposuit, ut interdum tacente ratione, quantum sibi dederit auctoritas conligamus, scilicet tramitibus nominum per litteras stratis'. — Atque suo iure Charisius cum iam in capite XV minime prospere, ut supra apparuit, processisset, pleniorem illum fontem repudiauit. Quis uero eorum, a quibus caput initium cepit, auctor fuerit, quia pauca admodum recepta sunt, statuere non licet. Sed si rationem solam secuti reputabimus Charisium in superioribus capitibus longe maxima ex parte a Palaemone pependisse, subsequentem autem doctrinam, quod paulo post uiderimus, ab eodem auctore sumpsisse, ueritatis speciem maximam prae se feret, quod conicis Charisium hoc quoque loco eundem fontem retinuisse. Adde, quod in ipso hoc frustulo Graeca lingua conlata est cum Latina et quod Palaemon analogiae siue rationi permultum in dicendo tribuit. Neque tamen Palaemoni imputauerim, quae argumentis confirmare non possim.

Quod sequitur caput XVIII ex duobus commentariis compositum inde a p. 147, 17—150, 20 'de ablatiuo casu' refert. Hic Charisius primum eam transcribendi secutus est rationem, quam in libro II plerumque retinuit, ut breui Cominiani commentario praemisso ad Palaemonis doctrinam pergeret uberiorem. Atque alterum commentarium, qui p. 148, 14—150, 20 'de ablatiuo casu et catholicis eius obseruationibus' est, a Palaemone adsumptum esse primum inde probatur, quod, quae occurrit p. 148, 25—26 obseruatio a Palaemone iam in capite XV p. 54, 9—20 plenior prolata est et quod doctrina huius commentarii etiam aliis locis (p. 43; 53, 30—55, 20) tacta est. Accedit, quod excerptor p. 554, 34—555, 29 eadem praecepta accepit. Porro dicendi ratione Palaemon satis detegitur. Charisius autem Palaemonis doctrinam nonnusquam accuratius

transcripsit, quam excerptor; et inuicem excerptor recepit obseruationes, quae ab illo omissae sunt. Christius l. l. p. 127 hunc commentarium a Scauro profectum esse coniecit ideo, quod Scaurus quidam hic exempli gratia adlatus esset. Sed haec sententia omni caret fide. Charisius enim Scauri artem in manibus omnino non habuit. Palaemon autem, cum et Caesares et Catilinas et Sisennas et Perpernas et Horatios et Lucilios et Senecas et Thraseas et alios saepius pro exemplis posuerit, quid impedit, ne quando etiam Scauros excitauerit? Neque tamen eam Christii obseruationem ullo pacto spreuerim, qua censuit esse grammaticos eum secutos morem, ut suo nomine exemplo uterentur. Sed hoc loco Scauri grammatici nomen exhibitum non est. Nam totum commentarium ab uno eodemque auctore petitum esse unusquisque e disserendi uia facile conliget. Palaemonem autem auctorem esse argumentis supra prolatis satis firmatur. — Prior huius capitis particula p. 147, 17—148, 13 Cominiano ab ipso Charisio adscripta est. Cominianus uero doctrinam suam a Palaemone mutuatus est. Primum enim eadem exempla, quae et Palaemon in sequenti commentario et apud excerptorem: 'nequam, nugas, doctus paries, agilis, uersus' exhibet; quod casu factum esse nemo contendet. Deinde regulae simili modo circumscribuntur; quin etiam dictio Palaemoniana, quatenus in tam breui commentario fieri licuit retenta est. Sed miserrime Cominianus in conficiendo ac consarcinando commentario suo Palaemonis doctrinam contraxit ac mutilauit ita, ut nullam regulam saluam relinqueret. Ea autem, a quibus caput incipit, Cominianus Palaemoni praecepit, id quod ex excerptis liquet. Charisius enim hic, sicuti in libro II, cum a Cominiano transcribendi initium fecisset, eas regulas, quas Cominianus a Palaemone similes sumpserat, postquam ad huius doctrinam peruenit omisit.

Caput XIX, quod p. 150, 21—151, 7 'de formis casualibus' refert, Palaemonis esse cum e disserendi genere tum ex eo concludi potest, quod plurima prioris capitis exempla repetita sunt.

Primo Charisii libro absoluto paulisper subsistendum est. Jure enim, qui Palaemonis docendi rationem non perspexerit,

offenderit in eo, quod ad firmandum dicendi usum paucos plerumque scriptores attulit. Cuius rei causae, quantum uideo, hae sunt: primum enim, quod leuioris momenti esse duco, Charisius Palaemonis doctrinam haudquaquam plenam recepit. Quo fieri potuit, ut scriptores a Palaemone laudati exciderent. Deinde locis istis, quod iam supra dixi, nihil fere nisi regulae generales id est ratio nominum, quibus consuetudo siue scriptorum dicendi usus minus adhibendus fuit, pertractata sunt. Rationem uero dicendi Palaemon adfirmante Quintiliano ex paucis idoneisque exsecutus est auctoribus. Verum enim uero grammaticum etiam scriptorum dicendi usum late patentem respexisse ex capite XV illo cognouimus. Quaesiuerit autem quispiam: at cur Palaemon scriptorum exempla non statim regulis generalibus addidit? Quid ita? Quia fieri non licuit; constat enim Palaemonem ubiuis summa dispositionis arte usum esse. Exemplis uero, si simul subiuncta fuissent, praecepta plane direpta ac dilacerata essent. Atque nominum et uerborum doctrina, cum omnium orationis partium uel per se longe uberrima ac plenissima esset, exemplis auctorum statim adiectis rigida neque expedita facta esset. Quod Palaemonem non effugit. Itaque in uniuersum exempla, quatenus opus fuit, adiunxit. Quo facto uberiorem commentarium, quo nominum et uerborum usus in scriptores peruulgatus percenseretur, composuit. Quibus subdidit reliquarum orationis partium catholica, quae dixit uaga. Ait enim in fine prooemii capitis XV p. 51, 18: 'Tractabimus ergo primum nomina polusyllaba polusyllaborumque quaestiones, deinde uerba uerborumque quaestiones, nouissime catholica uaga, quae multarum controuersiarum ueterem caliginem dissipent' et in fine expositionis p. 51, 23: 'Sequemur ergo has extremitates aut per omnia genera nominum aut per ea, quae in quibusdam sunt, singulisque extremitatibus quaestiones suas et subieciemus et soluemus'. De quo capite supra affatim exposui. Charisius enim ordine perturbato longe minimam huius doctrinae partem recepit. Namque uerba uerborumque quaestiones plane praetermisit. Jam nominum doctrinae qualis constitutio fuerit, ex eis, quae seruata sunt, adhuc satis perspicere licet. Fuerunt enim nomina

substantiua et adiectiua explanata. Verum etiam reliquarum orationis partium 'catholica uaga' in hoc capite pertracta fuisse inde sumito, quod pauca pronominum aduerbiorum coniunctionum frusta in extremo capite relicta sunt. Vulgaris autem harum partium apud scriptores usus, cum minus ampla esset earum doctrina, regulis generalibus explicatis subiunctus fuit, id quod inde probatur, quod nonnulla aduerbiorum Palaemonis exempla p. 189, sq. recepta sunt a Charisio. Reliqua harum orationis partium exempla plane omissa sunt. Charisius uidelicet inde a capite XVI, cum in capite XV haud feliciter egisset, eam secutus est consuetudinem, ut regulis Palaemonis generalibus ex parte transcriptis breuiorem Romani exemplorum commentarium a Palaemone aliisque petitum in usum suum uerteret. Ait enim analogiae doctrina uberiore abrupta p. 117, 5 ipse: 'Cuius rei rectam rationem interim differamus contenti paucis, quae exempli gratia Gaius Julius Romanus sub eodem titulo exposuit...' Cuius commentarium hoc quidem loco plenum accepisse uidetur. Postea uero non nisi partem Romani exemplorum, id quod ipse p. 229, 33; 238, 15 indicat, asciuit ea forsitan de causa, quod 'artem' nimis longam filiolo futuram opinatus est aut quod transcribere eum magis magisque pertaesum est. Verum enim uero magno opere deplorandum est, quod primarium fontem, Palaemonis artem, non retinuit. Namque ut non dicam scriptorum exempla a Palaemone exhibita — nam quae Romanus seruauit et decurtata et deprauata sunt — interiisse, ne regulae generales istae quidem plane traditae sunt. Atque de libro Charisii I satis dictum est; ueniamus nunc ad reliqua.

B. **De libro Charisii secundo.**

De I, II, III, IV, V libri II capitibus, quae singulis fere uersibus constant, per se nihil statui potest. Sunt enim notionum definitiones. Sed conspirant hae definitiones miro modo cum eis, quae in capite VI proferuntur. Ac primum quidem quod ad capitis II 'de genere' definitionem attinet: 'Genus

est dictio, qua plures continentur species, ut animale et inanimale', eandem fere definitionem aliis quidem uerbis p. 155, 24 inuenies: 'Quaedam generalia sunt, quibus multa continentur dissimilia, ut animal arbor'. Capitis III deinde 'de specie' definitio: 'Species est dictio originem trahens a genere paucioribus confusa significationibus quam genus, ut homo arbor' p. 155, 25 recurrit: 'Ex his (generibus) nascuntur specialia, quae tamen insunt originibus suis generalibus, uelut homo equus'; p. 156, 22 eadem etiam exempla: 'homo arbor' redduntur. Quanta istarum definitionum cum capite VI conuenientia sit, liquet. IV et V autem capita, quod mox uiderimus, cum sexto arte cohaerent. Itaque quoniam priora capita sexto cognata sunt, hoc solum refert, quem caput VI habeat auctorem. Quod caput ab uno auctore profectum esse Schottmueller p. 17 iudicauit; qua in re uiro docto adsentior. Fauet autem huic suspicioni, quod et excerptor p. 533—537, 14 et Dositheus VII p. 389, 7—401, 7 cum IV et V capitum 'de oratione' et 'de partibus orationis' definitiones tum capitis VI doctrinam eodem ordine uerbo tenus seruauerunt. Nonnumquam sane alius aliud exemplum recepit ea nimirum de causa, quod in fonte plura exempla scripta fuerunt. Charisius etiam paucas regulas omisit; inuicem et excerptor et Dositheus hic illic minus quam Charisius adsumpserunt. Quod dubitationem non mouet. Ergo quin IV, V, VI capita unius eiusdemque auctorem sint, quaestio nulla est. Videamus, a quonam ea omnia orta sint. Atque capitis VI auctor p. 156, 26 se ipse exhibet hisce uerbis: 'Sed cum sint comparationis gradus tres positiuus, ut fortis, comparatiuus, ut fortior, superlatiuus ut fortissimus, de quibus iam suo loco exposuimus, inuenimus non in omnibus nominibus tres gradus perseuerare'. Respicit grammaticus ad capitis XVI libri I regulas p. 113, 8—21 prolatas; item p. 157, 6 ad eiusdem capitis XVI paginam 113, 12—17. Quod caput Palaemonis esse supra p. 53 sq. deteximus. Accedit, quod in hoc capite eadem in uniuersum praecepta cum eisdem exemplis reuertuntur. A Charisio autem ea profecta non esse ex eo cognoscimus, quod et excerptor et Dositheus easdem regulas transcripserunt. Vel inde capitis VI auctor

satis demonstratur. Porro dicendi genus id est, quod supra explicaui. Itaque quoniam VI caput Palaemonis est, ea autem, quae inde a capite II traduntur, cum capite VI conspirant, II—VI capita ab eodem auctore deprompta esse arguenda sunt. Atque etiam I caput, quod in 'definitione' ipsa uersatur, cum reliqua a Palaemone recepta sint, ab eodem grammatico pendere consentaneum est.

'Pronomina' capitis VII tres particulas (p. 157, 23—159, 35; 160, 1—161, 18; 161, 19—164, 11) comprehendunt hisce uerbis discretas: 'Aliis ita placuit de pronominibus disserere' p. 160, 1; 'Aliis ita placuit declinari' p. 161, 19. Primam particulam Palaemonis esse primum inde euincitur, quod grammaticus p. 159, 21, quam supra p. 23, 19 tractauerit doctrinam reuocat: 'et iam ordine suo', inquit, 'hanc quoque regulam aduotauimus'. Quem locum laudatum etiam excerptor p. 561, 6 descripsit. Adde quae p. 158, 1 exstant: 'Sunt pronomina ad aliquid, ut meus tuus. Nam et haec sine aliquo non possunt sola intellegi'. Coniunctio comparatiua 'et' spectat ad nominum prioris capitis doctrinam p. 156, 4—9 simili modo traditam. Sunt etiam, quae iam in libri I capite XV p. 91, 11—21: 158, 21—24 exposuerit grammaticus. Porro docendi ratio eadem est, quae nominum prioris capitis cf. p. 157, 24—35 et 153, 6—154, 20. Ergo primi commentarii Palaemon auctor est. — II et III commentarii cum I sentiunt; dictio enim eadem retinetur; p. 160, 10 quaedam regula aeque circumscripta est ac p. 158, 1. Qui commentarii eo tantum inter se differunt, quod in I et II quid generaliter de usu atque ui pronominum dicendum esset, in tertio uero declinationes pronominum explanatae sunt; quod in Palaemonis docendi rationem cadere supra uidimus. Itaque statuendum est Palaemonem hoc quoque loco aliorum sententias curauisse. Ceterum tertium commentarium iam Schottmueller p. 12 tribuit Palaemoni.

Pronomina excipiuntur a prima uerbi parte capitis VIII p. 164, 12—168, 33. Quod caput ex uno eodemque libro, in quo quinque diuersorum grammaticorum sententiae exhibitae fuissent, transcriptum esse a Charisio Schottmueller p. 17 uoluit. Atque idem fere, quod ille sentio. Causa uero, qua

permotus sum, ut totum caput ex uno fonte fluxisse existimem, haec est. Iam ab initio capitis sic disponitur: 'Verbo accidunt qualitas genus figura numerus modus tempus persona coniugatio'. Quae dispositio per totum caput tenetur. Deinceps enim 'accidentia' uerborum ista definiuntur et explicantur. Sed eis partibus, quae maxime ambiguae uidentur, statim aliorum grammaticorum sententiae adseruntur. p. 164, 22 deinde auctor capitis suam ipsius de generibus sententiam profert: 'Verborum genera', inquit, 'sunt quinque: actiuum passiuum neutrum commune deponens'. Aliis quidem, ait, quattuor uel tria genera poni placuisse. Atque grammaticus postquam, qua ratione alii quattuor et tria genera traderent, explicauit, p. 168, 19 ad suam superiorem sententiam eadem exempla, quae supra adferens redit. Praeterea dictio per totum caput eadem est. Ergo dispositio capitis est optima. Quod quoniam comprobatum est hoc caput ex uno libro sumptum esse, nunc quaestio est, unde Charisius doctrinam receperit. Auctor autem p. 249, 1—4 et p. 254, 1—2 deprehenditur. Ibi enim, quod iam supra p. 26 sq. memoraui, Palaemon in eis particulis, quas Schottmueller certo argumento ei tribuit, hoc caput ut suum designat respiciens ad doctrinam suam p. 165, 23—25 et p. 166, 16—22 traditam. Constat autem Palaemonem in rebus, quae in controuersia uersantur, aliorum diligentissime rationem habuisse. Porro dicendi genus id est, quod supra patefecimus. Notiones deinde uerbi singulae pariter atque nominis et pronominis superiorum capitum definiuntur et circumscribuntur. Atque grammaticum, ubi aliorum sententias profert, etiam aliis significationibus usum esse nemo miretur. Quare Schottmuelleri sententia qua p. 15 ea, quae p. 164, 13—26 leguntur, a Cominiano orta esse censuit, ualida non est. Nam qui possint ab alio quo profecta uideri, quae per totum caput sustententur et in fine repetantur.

Quae sequuntur duo capita 'uerborum ordines' eorumque declinationes continent. Quae maxima ex parte Schottmueller 'uelut' coniunctione praecipue nixus Palaemoni uindicauit; cui adsentior. Atque plura adferre argumenta opus fere non est, praesertim cum uiri docti, quod uiderim, hac re illi accesserint. Quare ad Schottmuellerum in eis, quae propter 'uelut'

coniunctionem Remmio ab eo addicta sunt, recurram; si qua dubia uideantur esse, subsistam. Schottmueller autem p. 10 haec Palaemoni tribuit: p. 168, 35—169, 34; 170, 1—170, 24; 170, 31—171, 14; 171, 36—172, 19; 172, 34—173, 12. Iam cur, quae p. 169, 35—39; 170, 25—31; 171, 15—35; 172, 20—34; 173, 13—19 istis interposita sunt, Remmio abrogauerit, parum perspicio. Censuit uir doctus indicatiuum et coniunctiuum modos non nisi 'finitiuum' et 'subiunctiuum' et 'optatiuum', praesens tempus non nisi 'instans' a Palaemone uocata esse. Quod quam falsum esset, supra p. 21 sq. docui. Constat enim Palaemonem, qui 'incusatiuos', 'conlationes', 'qualitates' 'extremitates' alia multa extulerit, magnam significandi licentiam sibi sumpsisse. 'Velut' autem coniunctionem non semper positam esse a grammatico satis persuasum habemus. Pro dii immortales, ieiuni essent grammatici eique primi p. Chr. saeculi, qui in tam artos dicendi ac significandi fines coacti fuissent. Ceterum Schottmueller ipse nisi magna difficultate sententiam suam non sustinuit. Ergo accedunt significationes istae, non per se ualent argumenta ad demonstrandum, quid cui debeatur. Ex particulis autem illis, ut ad ea, quae institui, reuertar, quas Schottmueller excepit, summa eorum, quae in superioribus partibus explanata sunt, eisdem exemplis repetitis subducitur artusque conexus efficitur. Eaedem autem modorum et temporum significationes adhibentur. Porro ipsa uerba Palaemonem auctorem clamant. Itaque ut etiam hasce partes Remmio adscribas, ratio suadet.

Iam ea, quae p. 173, 20—175, 27 exstant, prae ceteris Palaemoni uindicanda sunt. Nam ipse haec indicat p. 173, 14: 'In ceteris omnibus uerbis', inquit, 'eadem regula est, ne sit opus pluribus instrui, quod satis ex ista declinatione cognoscetur. Sed tamen quaedam de differentiae obseruatione conlegimus. Respeximus simul cuiusque declinationis uel ordinis uerbum, quibus modis quibusque temporibus et quales breuitates recipiant iuxta (?) ueteres auctores'. — Quae in eis, quae sequuntur ita, ut promissum est, perficiuntur. Dictio Palaemonis est.[1])

[1]) p. 175, 14 denuo Velii Longi nomen absurde adspersum est.

Caput XI p. 175, 28—178, 35 Cominiano ab ipso Charisio adsignatum est. Docendi ratio ad Palaemonem non accedit. At quantum discriminis sit inter Cominiani, siquidem ipse quid ex se extulerit et non transcripserit, et inter Palaemonis doctrinam, ex hoc maxime capite conlato cum eis, quae praecedunt Remmii praeceptis elucet. Atque Cominiani doctrina prae Remmiana ne flocci quidem est; Palaemonem cum eo comparari etiam flagitium est. Nam Palaemonem Cominianus aut copia aut acumine omnino non aequat. Sed quid dico 'aequat'; qui licet conferri grammaticos compilatores cum auctoribus!

Sequuntur 'participia' capitis XII p. 178, 26—180, 26. Quae inde a p. 178, 16—179, 10 leguntur, ex uno eodemque libro sumpta esse unusquisque e disserendi uia facile conliget. Sane Schottmueller p. 17 ea, quae p. 178, 36—180, 10 exstant, ab altero, a Cominiano, recepta esse uoluit ideo, quod in hac particula eadem exempla, quae p. 168, 5—18 et eaedem temporum significationes occurrerent. Sed hanc particulam Palaemonis esse supra, cum de capite VIII exponerem, docui. Praeterea nostri capitis doctrina ad Cominianum omnino non accedit. Eam autem capitis nostri partem, quam supra posui, a Palaemone ortam esse uel e disserendi genere demonstratur. Accedit, quod quaedam etiam in superioribus Palaemonis titulis tractata sunt; cf. p. 179, 17 : 155, 30; 179, 22 : 168, 17 : 48, 1—16 : 49, 3—5.

Iam quae in extremo capite p. 180, 11—26 proferuntur, quamquam Cominiano a Charisio adscripta sunt, tamen ei non debentur. Primum enim haec particula cum praecedenti Palaemonis participii doctrina conspirat; deinde eadem exempla retinentur; genera autem uerbi exhibentur quinque: actiuum passiuum neutrum commune deponens, quae in capite VIII Palaemonis cognouimus; porro Dositheus, qui Palaemonem pressit, VII p. 408, 1—20 partem huius doctrinae seruauit. Totum uero docendi genus Palaemonem redolet. Quaedam etiam perinde in primo Charisii libro Palaemon tractauit cf. p. 22, 12; 44, 23—26; 48, 1—16. Denique doctrina ipsa Cominianum explodit atque superat. Itaque aut Charisius

Cominiani nomine posito, cum intermisisset in transcribendo, ad Palaemonem postea delapsus est ita, ut eius doctrinam promeret; aut statuendum est Cominianum Palaemonis libro usum esse, id quod magis placere uidetur, quoniam participii definitio p. 178, 37 a Palaemone tradita in nostra particula decurtata est. Haec autem pars, quae participii expositionem continet, initio capitis a Charisio omissa est, id quod a Dositheo repetimus. — Quae in superioribus capitibus explanata sunt, generales uerbi regulas amplectuntur. Sed caue putes omnem Palaemonis doctrinam a Charisio receptam esse. Nam ‘uerba uerborumque quaestiones’ plane neglecta esse a Charisio supra p. 46 monui. Hisce autem capitibus alia neglecta alia turbata esse, praesertim quod ad participium attinet, per excerptorem et per Dositheum probatur.

Verba excipiuntur ab aduerbiis capitis XIII p. 180, 27—224, 22. Quo in capite notabilis quaedam confusio ac perturbatio fontium est. Charisius enim peruersa ratione fontibus suis usus est, ut pristinum rerum ordinem enucleari posse uix confidam. At periculum faciamus; forsitan successerit. In medias autem res impetus faciendus est. Nam inde a p. 181, 29—186, 29 aduerbia explanantur, quae a nominibus (adiectiuis) trahuntur hisce litteris terminatis: a r or ur es is us ns rs x a. Cuius partis et dicendi et docendi ratio Palaemonem auctorem aperte ostendit. Dicendi enim genus id est, quod supra exposui; de docendi autem ratione maxime hoc memorabile est. Palaemon enim ubique (cf. p. 48, 5; 113, 19) participia, quae nominum adiectiuorum uice funguntur et quae uerborum uim ac potestatem retinent, cum diligentia quadam secernit. Propria autem participia, ait p. 48, 5, ab eis, quae etiam in nominum potestatem transirent, eo distingui, quod nomina comparationem et superlationem reciperent, participia autem non reciperent. Quod etiam in hoc commentario, quem supra posui, obseruatur. Censet autem ex participiis, qua nomina, non qua uerba essent, aduerbia figurari posse. Quare eos uehementer accusat, qui etiam a participiis, qua uerborum potestatem obtinerent, et a pronominibus et a uerbis aduerbia trahi posse censeant. Quod ex hoc commentario, quoquo

tendis, patet. Sunt etiam, quae aliis locis adumbrata sint a Palaemone cf. p. 182, 28 : 116, 2; 183, 13—24 : 115, 38—116, 12; 183, 25—184, 9 : 113, 22—25 : 116, 2. Palaemon enim in capite libri primi XVI, quo comparationes descriptae sunt, etiam aduerbia, qua formari possent, breuiter perstrinxit. Ergo huius commentarii Palaemonem auctorem esse nemo non uidit. Charisius autem neque omnem eius doctrinam neque ordinem retinuit. Conferenda sunt, quae de libri I capite XV explicaui.

In eis, quae praecedunt hunc commentarium, aduerbiorum, quae suae positionis sunt, singulae species discernuntur. Quam particulam Palaemonis esse inde cognoscimus, quod quaedam initio insequentis commentarii, cuius auctorem Palaemonem supra eruimus, pariter repetuntur. Eadem deinde doctrina ac dispositio inueniuntur in eis, a quibus caput exorditur. Quae Cominiano a Charisio uindicata sunt. Sed quoniam haec Cominiani particula cum subsequenti Palaemonis doctrina congruit, Cominianum Palaemonis librum denuo usurpasse apertum est. Duae uero istae particulae eo tantum dissident, quod in ea, quam Palaemoni adscripsimus, plura exempla exhibita sunt; contra Cominianus uniuscuiusque speciei singula exempla asciuit. Definitio autem aduerbii a Cominiano prolata haec est, quam a Palaemone se sumpsisse Diomedes p. 403, 17 adseuerat.

Prima, quam posui pars p. 186, 30—189, 24 eo commentario excipitur, quem Schottmueller p. 8 Palaemoni tribuit; quae per se satis firma sunt. Inter nostri autem commentarii et eam, quae praeit doctrinam haec differentia intercedit, quod in superioribus particulis aduerbia, quae ‘suae positionis’ sunt et quae ab aliis transeunt, generaliter inlustrata sunt; in hoc uero commentario singula accuratius percensentur; quae nonnumquam euidenter ad priorem doctrinam respiciunt. Inueniuntur etiam, quae in libri I capite XVI enarrata sint.[1])

[1]) Hoc loco non praetereunda uidentur, quae p. 189, 6 leguntur: ‘Inter aduerbia numeri haec quoque alii adiecerunt: quot tot, quotquot aliquot; quae ita posita inter aduerbia non est nostrae aestimationis reprobare.

Quae p. 189, 25—190, 7 prostant, etsi a Schottmuellero p. 12 Palaemoni abrogata sunt, tamen ei debentur. Nam arte priori doctrinae deuincta sunt. Schottmueller autem eam partem excepit, quod Varro hic laudatus esset. Cui offensioni locum non esse supra docuisse mihi uideor. Incipit haec particula: 'Conlata sunt aduerbia'. At multum spes eum fallet, qui Palaemonis aduerbia scriptoribus usitata secutura opinetur. Denuo enim Charisius Palaemonis doctrina uberiore nimirum abrupta ac destituta ad Romanum se contulit. Paucorum tamen scriptorum exempla a Palaemone congesta retinuit: Varronis III *περὶ χαρακτήρων*, Plauti Aulularium, Mostellariam, Curculionem.

Sequitur p. 190, 8—224, 22 Romani de aduerbio doctrina. Praemissus est breuis commentarius, quo summatim, quid de usu atque generibus aduerbiorum dicendum esset, actum est. Qui commentarius magna ex parte et disserendi et docendi Palaemonis rationem prae se fert. Etenim exempla Palaemonis ritu ficta ac regulis adserta sunt; aduerbiorum deinde singulae species eodem fere ordine eisdemque significationibus exponuntur; Palaemonis dictiones illae frequentantur. Nec tamen exempla ista, quoniam Charisius plenam Remmii doctrinam

---

Certe inter aptota nomina pluralia posuimus, secuti praecepta magistri nostri. Alii inter pronomina posuerunt.'

Spectat grammaticus ad doctrinam suam in libro Charisii I p. 36, 6 prolatam: 'Sunt quaedam pluraliter tantum monoptota communia in numeris posita, uelut tot quot aliquot quotquot. Haec alii posuere inter aduerbia'; his adde quae apud excerptorem, qui accuratius hac parte Palaemonis doctrinam descripsit, p. 551, 21 praeter alia occurrunt: 'Haec alii inter pronomina posuerunt, alii inter aduerbia.' — Christius l. l. p. 125 uerba illa: 'secuti praecepta magistri nostri' a Charisio profecta esse coniecit; neque uero mihi persuasit. E rerum contextu enim satis patere putauerim, haec uerba a Charisio aliena esse. Ac ne hoc quidem nos mouebit, quod Suetonius Palaemonem praeceptore usum esse non tradidit. Etenim grammaticum eam doctrinam, quae apud posterioris aetatis grammaticos exstat. non ex se procreasse nec 'dum comitatur erilem filium in scholam' (Suetonius) didicisse, sed docendi auctorem habuisse perspicuum est. Neque tamen aut apud Charisium aut alibi, quamuis inuestigarim, quicquam de Palaemonis praeceptore reperire potui.

non adsumpsit, cum istius similibus componi possunt et quia uulgaris sunt notae, parum ad demonstrandum ualent. Sed disserendi genus Palaemonem prodit. Iam definitio aduerbii ea est, quam grammaticum nostrum professum esse constat. Hic illic etiam aliorum grammaticorum obseruationes adspersae sunt.[1]) Callide uero Romanus Palaemonis librum in usum suum conuertit. Nam cum Charisius excerptor alii locos a Remmio laudatos aliaque, quae auctorem prodant, receperint, apud Romanum ea frustra quaeris. At quod de hoc commentario firmis argumentis demonstrari non potest, id de eis, quae sequuntur, fieri licet. p. 194, 22—224, 22 enim Romanus aduerbia, qualia apud auctores in usum ueniunt, litterarum ordine inlustrat. Palaemon autem in libri I capite XV etiam aduerbia, quatenus 'catholica uaga essent, quae multarum controuersiarum ueterem caliginem dissiparent', perstrinxit. Atque Romanus etiam in hoc commentario nonnullas Palaemonis obseruationes uerbo fere tenus seruauit. Quas adferre liceat. Romanus p. 195, 12 profert: 'Ampliter Plautus in * pro ample. Omnia enim nomina, quae in qualitate sunt aut in quantitate, si datiuo in o exeunt, aduerbia per e litteram faciunt, ut doctus docte, amplus ample. Sed ueteres non obseruauerunt'.

Palaemon p. 79, 10 docet: 'Largus nomen facit ex se aduerbium, quod omnia, quae in qualitate sunt aut in quantitate, si datiuo casu in o exeunt, o in e mutant et aduerbium faciunt, ut doctus docti docto, facit docte. Sed ueteres hoc non obseruauerunt. Nam et duriter Terentius dixit et Plautus ampliter'. Conferas praeterea Palaemonis doctrinam p. 113, 22—29; 116, 1—28; 183, 25—184, 9; 187, 1—8. Item Romanus p. 211, 26: 'Plure Plautus in Caeco uel in praedoni-

[1]) Umbrius Primus quis sit mihi non liquet. Equidem paene ad eam deductus sum sententiam, ut Palaemonem a Romano significatum esse crederem. Etenim conexus rerum regulaeque, in quibus Umbrius laudatur, ad Remmianam doctrinam respiciunt. Iam uero p. 192, 16 Romanus exorditur: 'Sed conlatio quamque comparationem Umbrius Primus nominat . . .' Palaemonem autem et 'conlationem' et 'comparationem' extulisse ex capite libri primi XVI intelleximus.

bus: 'plure altero tanto quanto eius fundus est uelim'; Cicero quoque: 'plure uenit'; Lucilius: 'plure foras uendunt, quod pro minore emptum'; antique'.

Palaemon p. 109, 10: 'Plure aut minore emptum antiqui dicebant, Cicero: 'plure uenit' et Lucilius: 'plure foras uendunt'. Sed consuetudo pluris et minoris dicit'.

Romanus p. 215, 15: 'Perendie, quasi perea die, quod notauerunt grammatici, quia cum de futuro dicimus, diem nouissimo loco damus, non ut die quarto'.

Palaemon p. 81, 28: 'Nudius tertius hoc significat, nunc est dies tertius; item nudius quartus. Sed quaeritur de futuro, utrum dicendum sit die quarto et die quinto, an diequarte et diequinte, sicuti perendie cum dicitur. Sed quibusdam displicet propterea, quod cum dicimus perendie, postponimus die; cum uero diequarte praeponimus. Sed ueteres non aliter locuti sunt. Sunt enim coniuncta et nominatur per ea tempus, non numeratur, ut in illis nudius tertius nudius quartus'. — Conferenda sunt praeterea: p. 204, 22—24 : 101, 1—3; 207, 20—24 : 81, 28—82, 4; 197, 22—27 : 79, 10—14 : 113, 22—25. Ergo etiam aduerbia Palaemonis pressit Romanus. At non nisi casu quodam, quoniam Charisius hoc capite Palaemonis aduerbia scriptoribus usitata non admisit, fieri potuit, ut Romani uestigia detegerentur. Nam nisi Palaemon ubiuis quaestione exorta obseruationes suas adseruisset, demonstrari omnino non potuisset Romanum a Palaemone pendere. Neque enim in capite illo XV aduerbia, quae ab auctoribus adhibita sunt, plane pertractata sunt a Remmio, sed ita tantum, ut 'multarum controuersiarum' causae essent. Unde etiam intellegitur, cur Romanus plura nonnumquam exhibuerit. A Palaemone uero aduerbia scriptoribus usitata regulis nostri capitis generalibus subiuncta fuisse ex eo cognoscimus, quod Charisius pauca eorum frustula descripsit. Quibus Charisius destitutis ad Romani exempla transiit ea procul dubio de causa, quod Palaemonis commentarius uberior ei uisus est. Ex hoc autem capite, quod maxima ex parte Palaemonis est, conlato cum reliqua Remmii doctrina conicere licet, quantopere Palaemonis reliquarum orationis partium: pronominum praepositionum

coniunctionum interiectionum praecepta circumcisa sint a Charisio.

Sequuntur coniunctiones capitis XIV p. 224, 23—230, 2. Quod caput a breui Cominiani commentario initium facit. Cominianus autem denuo coniunctionis Palaemonis definitionem et partitionem praecepit ita, ut Charisius cum ad Remmii doctrinam peruenisset, eius definitionem aliaque reiceret. Ceterum quin totam particulam Cominianus a Palaemone mutuatus sit, dubitari omnino non potest. Etenim et dispositio eadem, quae in reliquis orationis partibus a Palaemone praebetur, et Diomedes p. 415, 16 easdem coniunctionum species sub Palaemonis nomine tradit. — Quae inde a. p. 225, 5—229, 2 leguntur, a Keilio praef. in Char. p. XLIX et a Schottmuellero p. 8 Palaemoni adscripta sunt; et recte id quidem. — Inde a p. 229, 3—230 Romani doctrina a Charisio ei uindicata exstat; e qua, quoniam pauca adlata sunt, nihil conligere licet.

Caput XV p. 230, 3—238, 17 est 'de praepositionibus'. Quae p. 231, 1—236, 15 proferuntur a Palaemone sumpta esse iam Keilius l. l. et Schottmueller p. 8 statuerunt; quibus accedo. Charisium autem non omnem Palaemonis doctrinam accepisse, sed particulas quasdam, quae aptae ei uisae sunt, excerpsisse e rerum dispositione elucet. Quin etiam p. 231, 11 id ipse fere indicat Charisius dicens: 'Apud Palaemonem etiam aliae obseruationes penitus digestae sunt utputa ...' — Sane digestae fuerunt penitus; utinam omnes recepisset.[1])

Quae p. 230, 4—32 Palaemonis commentarium praecedunt, Cominiano a Charisio tributa sunt. Sed denuo Cominianus Palaemonis doctrinam usurpauit, id quod ex eo apparet, quod Cominiani exempla, quae casuum praepositionibus seruiunt, respondent eis, quae Palaemon uerborum eademque nominum praepositionibus adiecit. Neque id morari debemus, quod Cominianus diuersa nonnumquam exempla posuit; quod inde ortum est, quod in Palaemonis libro plura exempla scri-

[1]) p. 232, 7—10 pauca Romani uerba Palaemonis doctrinae a Charisio adspersa sunt, id quod uel primo oculorum obtutu cognoueris. Quibus Romani uerbis Charisius adductus uidetur esse, ut adnotaret, quod supra posui.

pta fuerunt. Praeterea ipsa dispositio ac disserendi genus, quae apud Cominianum inueniuntur, Palaemonem probant.

p. 236, 16—238, 17 Romani de praepositione doctrina exstat. Qui commentarius ab obseruationibus Suetonii quibusdam incipit. Quae uero p. 236, 23—238 sequuntur, eandem docendi speciem praebent, quam Palaemonis et Cominiani doctrina. Etenim disserendi genus idem est; exempla nonnusquam conspirant; quaedam obseruationes uerbo fere tenus apud Cominianum et Palaemonem reperiuntur. Itaque etiam praepositionum Palaemonis doctrinam Romanus occupauit. Sed quamuis tres grammatici: Charisius, Cominianus, Romanus unum librum usurpauerint, tamen non plenam Palaemonis doctrinam aut petiuerunt aut seruauerunt.

Caput XVI p. 238, 18—242, 12 est 'de interiectionibus'. Excipiunt se Cominiani, Palaemonis, Romani praecepta. Cominianus et Romanus interiectionis eandem definitionem produnt. Palaemonis propria definitio omissa est. Sed de hoc capite parum statui potest. Charisius enim pauca e Palaemonis et Cominiani doctrina admisit. Romanus eorundem quidem scriptorum exempla, quorum in superioribus capitibus enarrat.

C. **De libro Charisii tertio.**

Cuius libri auctorem Palaemonem Schottmueller p. 10 statuit. Itaque quia iam supra 21 sqq. de eo exposui, hic pauca addenda sunt. Ac primum quidem p. 248, 5 Apulei nomen adsertum est. Apuleius autem quoniam in Charisiana arte non nisi a Romano laudatus est, uero proximum est statuere esse et hoc loco Apulei mentionem ab illo factam. p. 254, 8 Romani obseruatio a Charisio interiecta est ita: 'obicio tibi, obicitur mihi a te. Nemo enim dicit dor, noceor, obicior'. — 'Sed C. Julius Romanus ea uerba idiomata appellauit'. — Continuatur statim Palaemonis doctrina: 'Quae datiuum recipiunt, uelut noceo . . .' Ceterum Palaemon p. 253, 19 sq. ipse eadem uerba idiomatibus adnumerauit.

D. **De libro Charisii quarto.**

In libro IV, qui breuiter de uitiis et uirtutibus orationis refert, Charisius Palaemonis artem meo quidem iudicio non adiit. Neque enim ullum fere inuenitur indicium, quo Palaemonis aut dictio aut doctrina detegatur. Graeca lingua nusquam conlata est, id quod in hac doctrinae parte necesse fere fuit. Scriptores etsi eidem fere adhibiti sunt, quos et Palaemon praeferre solitus est, tamen eo argumento solo nixus huius libri doctrinam pro Palaemoniana non uendiderim. Schottmueller is quidem p. 14 alteram partem Cominiano, alteram Romano addixit. Cuius sententiam examinare, quia hic de Palaemonis doctrina quaestio non est, a mea disputatione alienum duco. Itaque statim ad libri V doctrinam transire mihi liceat.

E. **De libro Charisii quinto.**

Qui liber p. 291, 1—296, 18 in idiomatibus uersatur. Quae p. 291, 1—292, 15 exstant, a Schottmuellero p. 10 Palaemoni adscripta sunt; cuius sententiae quin accedam, nihil est. Verum etiam qui sequitur commentarius a Palaemone profectus est. Ab initio enim grammaticus aliorum de idiomatibus sententiam tangens: 'Aliis', inquit, 'etiam ita de idiomatibus placuit definire'. Sed est potius ipsius sententia, quam aliorum. Docet enim, quatenus in Latina lingua, quae a sermone Graeco plane pendere uideatur, contra consuetudinem Graecorum idiomata oriri possint. Quo facto statim ad suam doctrinam reuertitur. Nonnullas autem regulas siquidem non ad uerbum, tamen ad sententiam simili modo e priore commentario repetit. Oratio deinde expedita ac perfacilis profluit; regula regulam excipit. Iam inde a p. 293, 8 usque ad finem libri singulorum idiomatum species casuum ordine explanantur. Sunt etiam regulae, quae iam aliis locis adumbratae sint. Dicendi denique genus Palaemonis est, id quod qui altius in eius doctrinam descenderit, facile perspexerit.

Ac nunc quidem Charisianas grammaticarum rerum copias relicturus magno opere doleo, quod Remmiana doctrina ab illo

miserrime turpissimeque circumcisa ac perturbata est. Sed adiciamus indicem, e quo quid Charisius e Palaemonis arte ipsa transcripserit, facilius cognoscatur. De ea autem Remmii doctrina, quam Charisius e Romani et Cominiani libris recepit, conferenda sunt, quae supra statui.

		Liber I.
Cap.	I—XIV	p. 7—50, 6.
„	XV	„ 50, 7—51, 5; 51, 6—53, 12; 53, 19—56, 4; 56, 8—61, 5; 61, 15—94, 1; 94, 2—95, 28; 96 7—112, 12.
„	XVI	„ 112, 13—113, 29; 114, 7—25; 114, 28—116, 28.
„	XVIII	„ 148, 14—150, 20.
„	XIX	„ 150, 21—151, 7.
		Liber II.
„	I—X	„ 152—169, 9.
„	X	„ 169, 10—175, 13; 175, 17—27.
„	XII	„ 178, 36—180, 10.
„	XIII	„ 181, 17—190, 7.
„	XIV	„ 225, 5—229, 2.
„	XV	„ 231, 1—236, 15.
„	XVI	„ 238, 23—25.
		Liber III.
„	I—III	„ 243—253, 4.
„	IV	„ 253, 5—254, 8; 254, 9—255, 21.
„	V—VIII	„ 255, 22—264, 16.
		Liber V.
		p. 291—296, 18.

III. De Q. Remmii Palaemonis doctrina, quae apud Dositheum inueniatur.

Libris Charisii, quoad licuit, absolutis ad Dosithei nos conuertimus artem apud Keilium VII p. 376—424, 15 exstantem. Atque Dositheo cum Charisio de Palaemonis doctrina conuenire supra, cum de Charisii libri I capitibus exponerem,

ostendi. Commentario autem 'de litteris' illi, quem a Charisio et a Dositheo ex uno eodemque fonte haustum esse supra p. 29 sq. docuimus, quattuor capita arte inter se conexa praemissa sunt: 'De arte grammatica', 'De accentibus', 'De distinctione', 'De uoce'. In postremo enim capite primo p. 377, 1 dispositio artis grammaticae prostat talis: 'Artis grammaticae initia ab elementis surgunt, elementa figurantur in litteras, litterae coguntur in syllabas, syllabis comprehenditur dictio, dictiones coguntur in partes orationis, oratio in uirtutes ac uitia descendit'. Quae dispositio in eis, quae sequuntur, tenetur. Excipiunt enim sese capita: 'De litteris', 'De syllabis', 'De dictione', 'De oratione siue orationis partibus'. Quae capita a Charisio et a Dositheo eodem ordine prolata a Palaemone sumpta esse supra p. 29 sqq. demonstraui. Quae cum ita sint, ut dispositio artis grammaticae a Dositheo indicata in sequentibus capitibus efficiatur, ea autem capita e Palaemonis libro recepta sint, sequitur esse et primum 'De arte grammatica' caput ex eodem libro petitum; deinde cum primum et quattuor illa capita Palaemonis sint, reliquam autem doctrinam, quod mox uiderimus, eidem auctori Dositheus debeat, ueritatis speciem maximam prae se feret, quod statuis esse et ea capita, quae primo et quattuor illis capitibus interposita sunt, ex eadem origine ducta. Ceterum et dictio et dispositio, ut Palaemoni haec tribuamus, nobis persuadent. Graeca lingua diligenter adhibita est. — Quae quattuor illa capita sequitur doctrina apud Charisium uerbo fere tenus inuenitur. Quare quoniam iterum auctorem demonstrari opus non est, ubi singula apud Charisium reperiantur, ostendam. Atque quae inde a p. 389, 7—407, 19: 'De orationis partibus', 'De nomine', 'De pronomine', 'De uerbo' a Dositheo proferuntur, ea apud Charisium eodem ordine p. 152, 10—175, 27 occurrunt. Hic illic quidem uterque doctrinam paulo accuratius transcripsit. Namque ab ipsis ea addita non esse per excerptorem probatur, qui doctrinam istam pleniorem positam seruauit. Praeterea Dositheus in margine artem in Graecam linguam uertit. De participii autem praeceptis Dositheus ea sola recepisse uidetur, a quibus Palaemonis commentarius incepit. Qui a Charisio

decurtatus est. Ceteroqui et dictio et docendi genus Palaemonem aperte ostendunt. Eadem enim tempora et exempla retinentur, quae a Charisio; confer Charisii commentarium p. 178, 36—180, 26 exstantem et libri II caput VIII.

Quae inde a p. 408, 21—424, 15: 'De aduerbio', 'De praepositione', 'De coniunctione', 'De interiectione', Dositheus explicat, ea cum Charisii doctrina p. 181, 17—242, 12 scripta consentiunt[1]; confer quae supra p. 68 sqq. de Palaemonis doctrina exposui. Ac ne hoc quidem dubitationis quicquam adferre potest, quod Dositheus nonnumquam plura tradidit, quam Charisius; quae quoniam apud Diomedem etiam, ut Keilius indicauit, leguntur, a Dositheo non possunt inuenta esse. Scriptores uero in eis ipsis partibus appellati sunt ei, quos Palaemon praeferre solitus est; disserendi genus Palaemonis est. Ac de Dosithei ea quidem arte hactenus.

IV. De Q. Remmii Palaemonis doctrina apud excerptorem, qui uocatur Bobiensem exstante.

Atque excerptorem Bobiensem, cuius praecepta I p. 533—565 inueniuntur, Charisii libros exscripsisse u. d. Keilius olim existimauit. Sed quoniam excerptor pleniorem nonnumquam doctrinam ex eodem fonte, ut supra docui, haustam exhibet, Keilii sententia stare non potest. Atque Keilius ipse in praefatione ad Dositheum data hoc professus est. Sed ne Christii ea quidem opinio (Philol. 18, p. 136 sqq.), qua Cominianum excerptori scribendi materiam praebuisse censuit, sana omnino est. Etenim quam excerptor congessit, doctrina plane apud Charisium in Palaemonianis commentariis eodemque plerumque ordine reperitur. Quae ubi prostet apud Charisium, nunc indicare satis est.

Iam quae p. 533—537, 14 occurrunt[2], apud Charisium

---

[1]) Interiectionis particulae p. 424, 9 'apex Donati' interpositus est.

[2]) p. 534, 39 Asprus quidam inrepsit uia nescio qua. Doctrina hic corrupta omnino esse arguitur eo, quod apud Dositheum hoc loco p. 394, 1

p. 152, 10—157, 22 deprehenduntur; item quae p. 537, 15—544, 11, in Charisii libri I capite X p. 18, 7—31, 24. Praecepta p. 544, 12—547, 39 exstantia capiti XIV eiusdem Charisiani libri p. 38, 1—50, 6 respondent; adhibendum est etiam caput illud X. Quae inde a p. 548, 1—551, 7 proferuntur, cum libri Charisii I capite XI p. 31, 25—35, 17 consentiunt. Sequuntur 'monoptota' p. 551, 8—31, quae eodem ordine Charisius in caput XII p. 35, 18—37, 7 transtulit. Quae excipiuntur hypocorismatis p. 551, 32—38 se offerentibus; haec quoque Charisius eodem ordine in caput XIII p. 37, 8—18 transcripsit. Iam inde a p. 551, 39—554, 33 ab excerptore nomina Romana, quae apud Graecos alio genere funguntur, litterarum ordine exarantur. Dispositio autem praecipuam speciem praebet; nomina secundum genera discernuntur Graecis uocabulis appositis. Quae a Charisio recepta non sunt. Sed cum excerptor omnem reliquam doctrinam a Palaemone petiuerit cumque rerum ordo per litteras optime digestus etiam a Palaemone ubique adhibitus sit, a uero non abhorrebis, quod conicis, esse et hoc loco excerptorem Palaemonis arte usum. Adde, quod Remmius usque quaque Graecam linguam cum Latina contulit. — Quae p. 554, 34—555, 29 incidunt, Charisius p. 148, 14—150, 20 tractauit. Gradus comparationis p. 555, 30—557, 2 tributi a Charisio p. 112, 13—116, 28 seruati sunt. Sequitur pronominis doctrina p. 557, 8—561, 18; de qua p. 157, 23 sqq. a Charisio actum est. Inde a p. 561, 19—565, 41 denique uerborum coniugationes eorumque obseruationes exponuntur. Excerptor is quidem alia atque Charisius recepit. Attamen a Palaemone ea profecta esse e disse-

---

lacuna facta est et quod Diomedes, qui nonnulla ad uerbum recepit, p. 318, 14 Scaurum intulit grammaticum. Praeterea p. 534, 34 'Studente Sacerdote differentia inuenta est' exemplum interiectum est; quod praeter Charisium Dositheus p. 393, 12 et Diomedes p. 318, 7 acceperunt. Verum haec praecepta Palaemoni deberi ipsa uerba clamant. Adnotandum uidetur, quod M. Plotius Sacerdos, qui VI p. 447, 13—28 de eadem re refert, nonnulla exempla licet breuiora praebet. Eius autem doctrina ab hac eo differt, quod quattuor, qui apud excerptorem inueniuntur modi a Sacerdote in octo digesti sunt.

rendi genere euincitur. Permulta etiam apud Charisium in VIII, IX, X libri II capitibus et in III libro occurrunt. Atque quod in hunc commentarium ualet, id etiam ad omnem excerptoris doctrinam pertinet. Ubi enim excerptor, qui plerumque uerbo fere tenus Charisio respondet, pleniorem quam ille doctrinam praebet, ibi Remmiana origo aut e dicendi aut e docendi ratione facile detegitur. Accedit, quod et Diomedes et Dositheus eorum nonnulla seruauerunt. Itaque de hac re plura uerba facere mitto. Excerptor uero non inepte e Remmianis copiis praecepta sua elegit maioreque, quam Charisius in transcribendo ratione usus est. Nam etsi singularum particularum Palaemonis ordinem non retinuit, tamen plerumque doctrinam apte digessit. Atque eis, quae tradidit, ansam praebet praecipuam cognoscendi, qua Charisius transcribendi ratione usus sit. Vehementer autem commiserandum est, quod nominum pronominum uerborum tantummodo doctrinam eamque nequaquam plenam accepit. Nam cum accuratius e fonte hauserit neque nusquam locos a Palaemone laudatos cum Charisio non repudiauerit, argumenta offerret uel maxime perspicua demonstrandi auctoris eruendique ordinis a Remmio instituti.

Haec est igitur quinque grammaticorum, qui Palaemonis artem usurpauerunt: Charisii excerptoris Dosithei Romani Cominiani doctrina. Quorum omnium primum locum tenet Charisius; ad quem si cui quid de Remmiana doctrina conligere libebit, utique redeundum est. — Sed quae est doctrina! Etenim nisi leuissima atque ipsis accommodata, rationem dicendi, nihil fere adsumpserunt. Sed ne haec quidem aut integre aut funditus eiecta est. Quattuor enim isti praeter Charisium grammatici uix umbram rationis, quam dixi, retinuerunt. Charisius autem etsi partem eius haud mediocrem tradidit, tamen alia permulta ab eo praetermissa alia turbata esse supra uidimus. Quod in praepositiones maxime, in aduerbia, in coniunctiones, in interiectiones cadit. Porro dicendi consuetudo, quae est scriptorum prorsus, plane fere neglecta est. Supersunt paucae reliquiae in capite libri primi XV et

secundi capite XIII p. 189. Sed haec parua sunt. Nam non solum de octo orationis partibus Palaemonem egisse, uerum etiam de reliquis disciplinis ad artem grammaticam pertinentibus non mera suspicio est. Quarum quidem indicata est p. 116 sq. analogiae doctrina pretiosissima, a Charisio, cui breuior de ea Romani commentarius occurreret, radicitus obliuioni data. Inueniuntur etiam, quorum ne uestigia quidem relicta sint apud Charisium. Quae num apud reliquos reperiantur grammaticos, nondum satis perspectum habeo. Unde igitur, qualis pristina Remmianae artis constitutio fuerit, cogemus? Nescio, nisi si Quintilianum, qui Palaemonis doctrina usus est, sequi placuerit. Tum sane haud scio an adumbratione quadam eas, quae a Palaemone pertractatae sint disciplinas efficere possimus, at certo non Remmianae doctrinae copiam. — Charisius igitur et excerptor nec non Dositheus ea, quae receperunt, praecipua fide transcripserunt. Sed noli putare reliquos posterioris aetatis grammaticos eandem describendi simplicitatem ueritatemque esse consecutos. Sunt sane, quos una cum Charisio in eandem quasi copulam conicere liceat uel quorum doctrina eadem apud illum exstet; sunt etiam, qui sua ipsi uerba adstruxerint aliorumque praeceptis arcessitis uelut mixturam Remmianae doctrinae condiderint, inter quos Diomedes. Quorum in officinas uix possemus inspicere, si Charisius non esset. Est profecto fere nemo grammaticus posterioris aetatis Latinus, quin Palaemonis librum adierit. Palaemon enim, quod sciamus, primus fuit, qui artem composuit grammaticam. Quae ars propter facilitatem ac perspicuitatem sermonis doctrinamque politam optimeque digestam idonea fuit non solum, quae uel a pueris perciperetur Romanorum et a feminis, ut ait Iuuenalis l. l., scholarumque in usum cum fructu uerteretur, uerum etiam, cum a simplicissima dicendi ratione ascenderet ad loquendi consuetudinem difficillimam, grammaticis praeberet siluam copiosam, e qua suo quisque more promeret, quae ad pueros instituendos ipsis apta uiderentur. Quod uberrime factum est. Nam inde a secundo fere p. Chr. saeculo usque ad extrema tempora, quibus Romanum nomen Romana natura omne denique, quod Romanum fuit, exstinctum est, Palaemo-

nis palantur praecepta apud grammaticos primum larga, dein magis magisque imminuta, dum denique doctrina eo peruenit, ut in interrogationes et responsiones dissoluta sit ineptissimas. Palaemonis igitur ars quasi amnis fuit per pratum quoddam late fusus, e quo riui riuulique deriuarentur sescenti percurrentes arua fecunditatemque adferentes, quidquid attingerent. Cuius quidem amnis fuerunt fluctus tales, quos ipse Charisius haud modice sine dubio sermonis Latini amore captus magnaque instructus adsiduitate transcribendi patientiaque non modo non superaret, sed periret undis uelut capitis illius XV et analogiae; quamquam alii eique plurimi transnatandi ne periculum id quidem fecerunt. Quare uerum est, quod supra dixi, Palaemonis arti perinde accidisse ac Verrii et aliorum multorum eius modi libris, ut insequentibus saeculis, quibus quid natura uirtusque Latinae linguae esset, non iam perciperetur disciplinaeque grammaticae occalescerent, distraheretur atque excerperetur relictis eis, quae in istorum hominum ingenia conueniebant. Atque haec ipsa fuit causa, quod Remmiana ars tradita non est memoriae. Nam cum propter ieiunitatem posteriorum temporum imbecillitatemque ars illa excerpi coepta esset libellique, quales conscripserunt Dositheus excerptor alii, exsisterent grammatici, Remmii arte, quae esset amplior altiusque repeteret, submota libelli isti eruditioni disciplinaeque destinati sunt. Itaque quamuis multa tali modo seruata sint a grammaticis posterioribus, tamen Palaemonis ars, qualis fuerit, restitui numquam poterit, nisi forte Fortuna inciderit, ut in bibliothecae alicuius latibulo artis illius exemplar uel a tineis adrosum obrutumque puluere deprehendatur. Quod tempora feliciter uertant. Sed mittamus nunc haec, de quibus quando e reliquis grammaticis Remmianam doctrinam conlectam habebimus, melius ferre poterimus iudicium; tendamus ad ea, de quibus ut in calce huius disputationis dissererem, propositum mihi est.

V. De arte Palaemonis grammatica, quo tempore edita sit, quot libris composita fuerit.

Iam uero quoniam doctrinam Palaemonis grammaticam, quae apud Charisium, excerptorem, Dositheum, Romanum, Cominianum inuenitur, quantum fieri potuit, eruimus, liceat adferre quae de tempore, quo edita sit ars a Palaemone, de librorum numero dicenda uidentur.

Atque prouecta iam aetate a Palaemone emissam esse artem uel inde conieceris, quod grammaticus C. Plinii Secundi 'dubii sermonis' libros (I p. 77, 20; 79, 2) et eius doctrinam alias (p. 77, 8; 85, 9; 88, 16; 105, 20; 225; 29, 31) laudauit. Eos autem libros Plinium anno circiter sexagesimo septimo euulgasse u. d. Schottmueller l. l. p. 5 nobis persuasit. Sed ne hoc quidem tempus ad editionem Remmianae artis spectat. Idem enim Plinius in praefatione 'naturalis historiae' § 28: 'Ego plane meis', inquit, 'adici posse multa confiteor, nec his solis, sed et omnibus, quae edidi, ut obiter caueam istos homeromastigas (ita enim uerius dixerim), quoniam audio et Stoicos et dialecticos Epicureos quoque — nam de grammaticis semper expectaui — parturire aduersus libellos, quos de grammatica edidi et subinde abortus facere iam decem annis, cum celerius etiam elephanti pariant'. Quam praefationem anno fere septuagesimo septimo scriptam esse a Plinio idem Schottmueller l. l. enucleauit. E uerbis autem Plinii illis: 'nam de grammaticis semper expectaui parturire e. q. s.' absque dubio sequitur eo tempore Palaemonis artem nondum editam fuisse. Nam quid Plinium ita dixisse putemus, si Remmiana ars in publicum iam exiisset! Accedit nouum argumentum, e quo artem Palaemonis sero foras datam esse elucet. Palaemon enim apud Charisium p. 93, 31 thermas Titianas in exemplum uocat: 'Item cum sint Titus', inquit, 'et lupus similia, thermas Titinas, ut pelles lupinas non dicimus, sed Titianas'. Thermae uero istae a Tito imperatore, quantum inuestigare potui, exstructae sunt. Quibus argumentis adductus equidem, cum certum tempus terminari non liceat, artem grammaticam intra annum septuagesimum septimum et octogesimum quintum uel

6*

septimum scriptam siue editam esse a Palaemone coniecerim. Exoriatur autem aliquis, qui id quidem minime recte a me statutum esse dicat, praesertim cum e Plinii uerbis in n. h. XIV, 4, 50 exstantibus: ‘Haec (uineta) adgressus excolere (Palaemon) non uirtute animi, sed uanitate primo, — quae nota mire in illo fuit’, Palaemonem eo tempore iam mortuum fuisse appareat. At uerba Plinii ista, si modo integre tradita sunt, num necessario ad uitam Palaemonis referuntur? Nam quid sibi uult: ‘primo Palaemon uanitate coluit uineta, non uirtute animi’? Quid tandem postea? An postea uirtute animi uineis colendis sese dedidit Palaemon? — Quare Plinii uerba aut non recte tradita sunt aut interpolata sunt, quippe quae extra contextum fere posita sint, atque cum ambigua et sint et maneant, de Palaemonis uita ex eis, quantum equidem uideo, nihil omnino concludi potest. Nam huic Plinii loco repugnant tria illa argumenta uel grauissima, quibus Palaemonem etiam tum fuisse comprobatur.

Videamus porro, num quid de librorum numero statui possit. Atque copias illas grammaticas non in unum librum a Palaemone coactas fuisse uel per se apparet. Immo Palaemon apud Charisium p. 47, 14 ipse profitetur: ‘Item illa per i litteram ablatiuum habent, quae sunt hoc eodem libro supra excepta, quae incusatiuum per im faciunt.’ Quem locum laudatum etiam excerptor p. 545, 23 seruauit. — Quid, quaeso, Palaemonem ‘hoc eodem libro’ extulisse iudicemus, si uno solo libro artem circumscripsisset grammaticam? Nec inde morae quicquam exsistere potest, quod Charisius nusquam Remmianae artis aut capita aut libros exhibet. Etenim Charisium, qui ipsos capitum Palaemonis titulos retinuerit, istius maxime doctrinam libris suis supposuisse supra satis demonstratum est. Atque cum Remmiana ars in multiplicem scholarum usum uenerit peruulgataque fuerit, ne hoc quidem contra facit, quod a reliquis grammaticis artis illius libri excitati non sunt. Quid enim opus est eorum singula laudare, quae cognita apertaque sunt? Verum enim uero etiam ex pluribus quinque libris artem compositam fuisse ex ipso Charisio compertum habeto. Qui cum Palaemonis artem miro modo circum-

ciderit paucosque Romani et Cominiani commentarios suffecerit, ipse fere in praefatione p. 1 illud indicat dicens: 'Artem grammaticam sollertia doctissimorum uirorum politam et a me digestam in libris quinque dono tibi misi'. Namque artem Remmianam ab eo non auctam esse, cum ex eo noscimus, quod nonnullos Palaemonis commentarios, ut supra uidimus, plane omisit, tum inde, quod nonnusquam pro Remmii uberiore doctrina commentarios Romani breuiores posuit. Re uera nullam inuenies orationis partem, cuius doctrina plena recepta sit a Charisio. Ceterum quantopere Palaemonis doctrina ab illo mutilata esset supra docuimus. Nec tamen, etsi non nihil de Remmii diuisionis ac dispositionis arte repeti potest, prius quam omnia Palaemonis praecepta e reliquis grammaticis eruta sint, certi quicquam de librorum numero statuerim.

Iam finem faciamus disputandi. Nunc quidem tempus erat, ut reliquorum grammaticorum copias, Diomedis prae ceteris, qui cum multa de Palaemonis doctrina seruauerit tamen ea aliorum obseruationibus intermiscuit, perlustrarem atque discernerem. Sed subsistendum est aliquando, ut respicias, quid effeceris, reputandumque, ueramne quam consecutus es rerum causam uere sis ubique adsecutus necne. Quare cum primum potuero, si Mineruae placebit, quae inchoaui, continuabo, ut, quantum fieri licet, Palaemonis ars restituatur. Quid enim grammaticos Latinos Remmianis uestibus uideamus indutos!

CONSPECTUS.

VITA.

Natus sum Carolus Andreas Marschall Heiligenstadii a. d. VII. Kal. Febr. anno h. s. LIX patre Adamo, matre Martha de gente Drost, quorum iam defunctorum gratam memoriam nulla in me umquam delebit obliuio. Fidem profiteor catholicam. Gymnasio patriae urbis absoluto postquam per hiemale tempus anni h. s. LXXXI Monasterii theologicis studiis operam nauaui, uere anni LXXXII Friburgum, ut militaria officia exsequerer, me contuli. Quo facto Friburgi per aestatem insequentis anni mansi theologiae et philologiae deditus. Sacris studiis postea me abdicaui. Autumno anni LXXXIII iterum Monasterium petii, ubi per bis senos menses in philologia uersatus sum. Uno anno post studiorum perficiendorum causa tandem ad hanc Almam Matrem Lipsiensem accessi, cuius ad hunc diem ciuis fui.

Docuerunt me uiri illustrissimi: Hagemann, Langen, Niehues, Nordhoff, Stahl, Stork, Wüllner Monasterienses; Hense, de Holst, Paul, Schmidt, Simson Friburgenses; de Bahder, Heinze, Lange, Lipsius, Ribbeck, Zarncke Lipsienses. Proseminariis interfui, quae instituerunt Hense, Paul, Schmidt Friburgenses; Langen, Stahl, Stork Monasterienses. Langii, Lipsii, Ribbeckii benignitate mihi contigit, ut in societates eorum reciperer philologicas. Seminarii germanici a Zarnckio gubernati per annum et dimidium socius fui extraordinarius.

Omnibus his uiris doctissimis inprimis O. Ribbeckio optime de studiis meis meritis hac opportunitate gratiae soluendae data gratiam, quantam maximam animus meus capere potest, et ago et habebo semper sicut eis uiris in gymnasio Heiligenstadensi uigentibus, qui rerum Graecarum et Romanarum primis elementis me imbuerunt.